MASTER NEGATIVE NO. 92-80582-4

AUTHOR:

RICHARD, GASTON

TITLE:

DE PSYCHOLOGICO APUD CARTESIUM...

PLACE:

NEOCRASTI

DATE:

1892

Master Negative #

92-80582-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Richard, Gaston
De psychologico apud Cartesium mechanismo
Neocastri, Gontier-Kienné 1892 O 67 + [1] p

Bibliography p 3
Doctor's dissertation at Paris university

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5.20.92 INITIALS M.M.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

PSYCHOLOGICO APUD CARTESIUM MECHANISMO

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
HANC THESIM PROPONEBAT

Vedastus RICHARD
Licentiatus
Scholæ normalis olim alumnus
Philosophiæ aggregatus professor

NEOCASTRI
E TYPIS GONTIER-KIENNÉ
1892

DE

PSYCHOLOGICO

APUD CARTESIUM

MECHANISMO

DE

PSYCHOLOGICO

APUD CARTESIUM

MECHANISMO

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

HANC THESIM PROPONEBAT

Vedastus RICHARD

Licentiatus

Scholæ normalis olim alumnus

Philosophiæ aggregatus professor

NEOCASTRI

E TYPIS GONTIER-KIENNÉ

1892

MEMORIÆ CAROLI THUROT

INDEX

Œuvres de DESCARTES, publiées par Victor Cousin.

Renati DESCARTES. — Specimina philosophiæ. — Amstelodami. MDCLXXXV.

DESCARTES.— Œuvres Philosophiques.— Edition Garnier.

Renatus DESCARTES de Homine, figuris et latinitate donatus à Florentio. Schuyl, inclytæ urbis Sylvæ-Ducis senatore et ibidem philosophiæ professore. Lugduni Batavorum, 1662 et 1664. in-4°.

Passiones animae per Renatum DESCARTES, Gallicè ab eo conscriptæ, nunc autem in exterorum gratiam latina latina civilè donatæ ab H. D. M. Amstelodami. MDCLXXVII.

Renati DESCARTES, Musicae compendium, Amstelodami. MDCLXXXIII.

MALEBRANCHE.— Recherche de la vérité.

LAMETTRIE.— Œuvres.— Edition de Berlin.

LANGE (Frédéric-Albert).— Histoire du Matérialisme.— Trad. française. Paris, Reinwald.

Emile BOUTROUX.— De veritatibus æternis apud Cartesium.

Francisque BOUILLIER. - Histoire de la Philosophie cartésienne.

L. LIARD.— Descartes.— 1 vol. in-8°, 1882. Paris, Germer-Baillière.

G. SÉAILLES.— Quid de Ethicâ Cartesius senserit.

TABULA

Prooemium			5
Caput primum	—	De spiritibus animalibus	11
— II	—	De externâ perceptione	15
— III	—	De passionibus	28
— IV	—	De somniis, memoria atque imaginatione	41
— V	—	Quatenus psychologia Cartesii cum scientia mechanica congruat	51
— VI	—	De judicio, voluntate ac dubitatione	58
— VII	—	De duabus substantiis	61

DE PSYCHOLOGICO APUD CARTESIUM MECHANISMO

PROŒMIUM

Paradoxum hoc, Cartesium nihilominus psychologiæ vacasse quam methodo, metaphysicæ, mathematicæ, physicæ, etiam psychologiam ita concepisse ut mechanismo et minimæ actionis principio consentanea sit, rationibus certis probare, enucleare, acceptum facere, propositum fuit.

Fatemur Cartesium ejusque discipulos sese hujus methodi, quæ mentem introspicere tentat, gnaros ostendisse, prorsùs autem impotentem professos. Etenim apud quartam *Dissertationis de Methodo* partem has lineas haud obscuras legere licet : « Est alia actio mentis per quam aliquid bonum vel malum esse judicamus et alia per quam nos ita judicasse agnoscimus ; atque una sæpissime absque altera reperitur. » Quas lineas præcedentibus si confers, de quæstione in discrimine posita docebere ; nempe asseruit Cartesius nescire sæpè homines quid ipsi credant itâ ut observare quæ agant, satius sit quam quæ dicant audire. Porrò, si dubitas *Opinionem* (ita enim *Credere*, quamvis impropriè, significamus) conscientiæ statum pro claro habitum, directè, planè et aptè a te cognosci posse, idcircò dubitas te observatione interiori tanquàm methodo ad scientiam verè aptâ uti posse.

Alii loci, de quibus sæpius siluerunt qui philosophiæ historiam condiderunt, ostendunt non fugisse Cartesium corruptiones quibus apud quosdam ægrotantes personæ vexatur conscientia. Etenim apud primam *Meditationem* sermo est de quibusdam insanis quorum cerebrum adeo perturbatur ut quamvis pauperrimi sint, reges se esse perseveranter asserant, auroque vel purpura, quamvis nudissimi, esse vestitos, aut cogitatione se esse vel fictili vel vitreo corpore fingant. Similia legere licet apud *Inquisitionem Veri per lumen naturale*, ubi sermo est de melancholicis qui vasa aquâ plena se esse fingant. Talia dum observaret, Cartesius admodum correptus fuit; freta his, planè respuit *dubitatio methodica* quæ sensus dederit communis. Quia non minus difficile est amentiam a sanitate quam somnium a vigilia discernere, conabitur Cartesius cognitionem totam fundamentis insternere non minus per somnium et somnio similia quam per vigiliam certis. Si quidquid dat observatio intima fidem haberet apud Cartesium, haud quæreret ille è proportionum intuitu scientiæ fundamentum.

Apud tractatum *de Passionibus* clarius etiam locutus est : nempè has lineas, quibus hunc librum exorsus est, aut significatione prorsùs carere voluit aut severam interioris observationis damnationem profiteri. Scribit enim nullà in re magis apparere quam mancæ et deficientes sint quas a veteribus habemus scientiæ quam in placitis quæ *de Passionibus* scripsere.

« Nam etsi talis hæc sit materia ut ejus cognitio admodum curiose semper fuerit investigata et primo obtuitu nimium operosa non videatur, eo quod, unoquoque eas in se ipso sentiente, non opus sit ullam aliundè peti observationem ad naturam earum explorandam : attamen ea quæ de his docuere veteres tam parvi momenti sunt et maxima ex parte tam parum probabilia, ut sperare non debeam me ad veritatem rei perventurum nisi planè ab iis quas instituerunt viis recessero. Idcircò eo hic modo me oportebit scribere ac si tractarem de materia quam nemo ante me attigisset. » Forsan quibusdam videbitur Cartesium hæc scribentem duntaxat sese ut solet veterum contemptorem asperum ostendere, ceterum methodo quæ animum introspicit favere. At eas quas suprà posuimus lineas sic interpretari desipere est. Quod si verè Cartesius censeret « unoquoque passiones in se sentiente non opus esse ullam aliundè peti observationem ad naturam earum explorandam. » veteresque tantum propter peculiarem inscitiam sensu interiori male usos, cur non illius methodi fundamento niteretur ut novam passionum

notitiam daret ? Quis autem nescit Cartesium a scientiis quæ corporis studio vacant, a physiologia, ab anatomia necnon à mechanica « petiisse observationem ad naturam passionum explorandam » ? Nonne sic plane probavit suo judicio specie tantum *non nimium operosam* videri passionum cognitionem, nec adeò errasse veteres et res tam parvi momenti *de Passionibus* docuisse nisi, sensum interiorem interrogantes, pessima methodo usi essent ? Nota autem apud Cartesium verbum « Passiones » omnes conscientiæ status, voluntate tantum ac judicio exceptis, significare. Indè sequitur Cartesii judicio methodum qua animus sese introspicit prorsùs cœcam atque impotentem esse.

Sæpissimè apud discipulos clarius enucleatum invenies quid magister de rebus obscuris censuerit. Asperæ libertatis discipulum et, quantum res ad metaphysicam attinet, parum fidelem Patrem Malebranche omnes fatebuntur ; discipulum certe et Cartesii methodo docilem necnon scientiæ conceptum magistri instar complexum. Docet autem Malebranche sensum interiorem cœcum et à scientia alienum esse. Locum istum, licet longiorem, totum reponemus. « Quæcumque res in hoc mundo a nobis cognoscuntur sive corpora sunt sive animi, sive corporis, sive mentis proprietates. Nemo dubitare potest corpora corporumque proprietates per illorum ideas cerni quippe quæ non sint per semetipsa intelligibilia nec cerni possint à nobis nisi in Ente quod eos intelligibili ratione contineat ; sic in Deo per corporum ideas corpora cerni eorumque proprietates, eaque ratione perfectissime cognosci : etenim quæ nobis inest rei extensæ idea satis est ut omnes proprietates quarum res extensa compos sit novisse possimus ita ut figurarum ac motuum qui rem extensam delineant ideam quam à Deo accepimus magis distinctam et fecundam non solum habere sed etiam avere nequeamus. »

« Rerum quidem quæ in Deo sunt ideis omnes proprietates continentibus, quicumque harum ideas videt proprietates quoque vicissim videre potest ; etenim qui res quales sint in Deo intuetur, eas perfectissimè cernit : dicam eum modo infinite perfecto visurum si infinitum esset ingenium ejus qui videat ; nec quidquam deficeret in nostra rei extensæ, figurarum ac motuum cognitione si ideæ quæ eos repræsentet nostrum ingenium par esset. »

« At de mente non ita ; quippe quæ nec per propriam ideam cognoscatur nec in Deo ipso cernatur ; quam per conscientiam duntaxat novimus ; idcircò hujus imperfecta cognitio est. De nostrâ mente hoc tantum cognoscimus quod in nobismetipsis fieri sentimus. Si nunquam

aut dolorem aut calorem aut lumen senserimus, nequiremus scire an nostra mens hæc sentiendi compos sit, quum eam per propriam ideam non cognoscamus. Si autem in Deo ideam quæ menti nostræ congruat intueri liceret, omnes simul proprietates quarum compos sit aut novissemus aut novisse possemus, sicut novimus aut novisse possumus omnes proprietates quarum res extensa compos sit, quam per propriam ideam cognoscamus.»

« At per conscientiam, vel per sensum interiorem, satis docemur nostram mentem esse naturæ magnæ ac præstantis : fateor. Nonne autem fieri potest nos ferè nihil novisse de mentis intimâ ac merâ naturâ ? Quod si viginti tantum vel triginta figuras, materiæ modos, novissemus, fatendum esset hanc cognitionem ferè pro nihilo ducendam esse, præsertim cognitioni comparatæ quam per ideam obtinemus. Ergo, ad cognoscendam perfecte mentem scire non satis est quod è solo sensu interiori didicimus, quum ea quam nostri habemus conscientia nobis forsan minimam entis nostri partem ostendat. » (1).

Seponamus doctrinam quæ visio in Deo inscribitur : nihil æque Cartesii ingenio ac iste Patris Malebranche locus congruit ; quidquid obscuri erat in exordio tractatus *de Passionibus* exindè clarescit. Ut enim Cartesius comperit passiones, etsi facilè sensu interiori indagari posse videantur, tamen una ratione explanari posse, nempe auxilio physicæ atque anatomiæ, quarum scientiarum in geometria et mechanica fundamentum situm est, sic Pater Malebranche, verbis quam maxime expressis asserit cognitionem, conscientiæ modo adeptam, obscuram esse atque imperfectam nec nos plus per testimonium conscientiæ de mente novisse quam de re extensa viginti tantum aut triginta figuris explanatis sciremus. Corporum cognitio sensu interiori longè præstat quippe quæ relationibus intelligibilibus tota consistat ; quæ quidem perfecta recte diceretur si nobis ingenium infinitum inesset. Indè sequitur, unâ tantum ratione in cognitionem mentis lucem inferri posse, nempe indagando corpore, quatenus menti conjungatur et cum illâ immutetur.

Cui dubitationis aliquid in mente remaneret ostendere satis erit qualis sit operum natura in quibus psychologiam, videlicet affectuum atque passionum, memoriæ, imaginationis, somni atque somniorum, volun-

(1) Recherche de la Vérité. Liv. III, IIᵉ partie, ch. VIII, 4.

tatis ejusdemque cum motibus relationum, animalis instinctûs atque intelligentiæ, indagationem Cartesius exposuerit : anatomici ac physici opera esse videbuntur. Tales sunt enim libri *de Passionibus, de Homine, de fœti formatione*, nec alius est generis *Dissertationis de Methodo* quinta pars. His enim operibus unam animam unumque tenorem affert doctrina de spiritibus animalibus, quam à scientia mechanica nemo dividere potest.

Ex illis fontibus unus est è quô psychologia cartesiana potissimum haurienda est, nempè *tractatum de Homine* dicimus. Nemo nescit, postquam hoc opus perlegerat, Patrem Malebranche evasisse philosophum. Attamen hujus libri fama contemptum perpaucorum inter recentiores philosophorum vincere potuit (1). Cujus libri nos latinæ translationi quam Schuyl, vivente Cartesio fecit, studuimus. Nec sine causa : etenim ante translationem scripsit Schuyl præfationem (2) quam attento animo omnes historici accipere debeant : namque ibi ratio porrigitur quæ theologis doctrinam commendavit materiæ sanè plurimum condonantem : quippe Cartesii philosophia, etsi relationes certas atque ratas inter cogitationis quosdam modos et motus corporales esse demonstrarit, nihil medii inter cogitationem et motum materiamve remanere asserebat ; inde humanam ab animali natura profundissimo et quem nihil complere possit hiatu sejungi profitebatur. Initio decimi septimi seculi permulti pro verisimili putabant homines ac belluas communi esse natura : quam opinionem Montanius in *illa Apologia*, quanquam facete, defenderat. Qui autem animalia esse machinas quasdam perfecti generis profitebatur quique animam vegetativam, sensitivam, omnes denique animas tanquam mortales habitas prorsus è medio tollebat, ille argumentis haud infirmis dubitationem quamcumque de vita futura eximere videbatur. Nec Cartesio ipsi talis interpretatio displicuit : testimonium enim afferunt ejus cum Henrico Moro cumque Regio de triplici anima habitæ epistolæ ; nec omittendæ *Dissertationis de Methodo* quintæ partis ultimæ lineæ. Attamen si

(1) Saltem si ad psychologiam spectas. Neque enim Vir Bouillier apud *Historiam philosophiæ cartesianæ* (vol. I p. 206 et s. q.), neque Vir Liard apud librum qui inscribitur *Descartes* (p. 82, 84) neglexerunt ostendere quantis Tractatus de Homine scientiam erroribus liberasset, quamque methodo consentaneus esset

(2) Hoc Florentii Schuyl opus « malam translationem cum bonâ præfatione.» esse dicit V. Cousin (Descartes, IV p. 334).

Cartesio theologorum auxilium jucundum fuit, non ideò *Tractatum de Homine* scripserat ut illud adipisceretur.

Nobis consilium est *Tractatum de Homine* explicare ejusque partes dispicere, necnon ostendere, quam enucleatè, quæ præcipuis quæstionibus, præsertim de affectibus passionibusque, de perceptionibus atque conceptionibus responsa ibidem inveniantur. Quæ responsa iis comparabimus quæ apud alios Cartesii tractatus legere possis, videlicet apud librum qui *Passiones* inscribitur, placitisque eorum qui nuperrimè psychologiam novis fundamentis instraverunt, conferemus. Alii sunt fontes è quibus auxilium sumemus, ut Cartesii placita penitus interpretari possimus : nempè 1° loci plurimi tractatus de *fœti formatione* ; 2° Cartesii cum Henrico Moro de animalium natura epistolæ ; 3° duodecimæ regulæ ad directionem ingenii commentarii ; 4° quædam inter ultima quartæ *Principiorum philosophiæ* partis capita.

CAPUT PRIMUM

DE SPIRITIBUS ANIMALIBUS

In *Tractatu de Homine* studebit Cartesius corporis functionibus, seposita omni mentis operâ : corpus finget duntaxat esse machinam, organo pneumatico cuidam persimilem : nullam esse animam sive vegetativam sive sensitivam profitebitur. Ut rerum naturæ universi more geometrico, hypotheseos fundamento nixus, studuit, sic de corpore humano tractabit. Illud statuam duntaxat machinamve quamdam terrestrem esse supponet quam Deus, destinatâ operâ, nostro corpori persimilem formârit, adeo ut non colore modo atque figura, quibus membra nostra extrinsecus ornantur, sit conspicua, sed etiam interioribus illis partibus quibus edat, bibat atque respiret, abunde sit instructa, omnesque illas nostras actiones imitetur, quæ fingi possunt à materiâ promanare atque à totâ organorum dispositione dependere (1). Eamdem doctrinam iisdem ferè verbis expositam apud quintam *Dissertationis de Methodo* partem omnes perlegere. Ceterum locus quidam *Tractatus de fœti formatione* non sinit hanc hypothesin nobis Cartesii libidine ortam videri aut in ejus munere quidquid obscuri remanere. Quippe quum Cartesius censuisset homines magis in medicina profuturos fuisse si corporis naturam satis indagaverint nec menti functiones attribuerint quæ duntaxat è corporalium organorum dispositione pendeant, addit nos facile putare in mente omnium corporis motuum esse principium, quia à prima ætate experti sumus multos ex his motibus parere voluntati (quæ sit una ex animi facultatibus) : quæ opinio inscientia anatomiæ multum formata est. Qui enim exteriorem duntaxat corporis humani partem considerant nequeunt imaginari illi organa machinamentave plurima inesse quæ sponte sua multis ac variis modis moveantur ; errant

(1) Schuyl. Renati Descartes,.. de Homine. 2.— Cf. Ed. V. Cousin. Vol. IV, p. 335.

etiam magis quum judicant corpora mortua iisdem prædita esse organis ac viva, nec tamen prorsùs moveri, nulla re illis deficiente præter mentem. Ergo quia mechanicæ restituenda provincia est quam illi immerito mentis scientia sustulerat, putavit Cartesius *à priori* corpus humanum nil aliud esse ac machinam.

Machina quæcumque sic struenda est ut suis functionibus, videlicet motibus moliendis apta sit. Inter illas functiones tres Cartesio ceteris longè præstare videntur : nempe formatio sanguinis vel concoctio, sanguinis circulatio, tandem spirituum animalium formatio ac diffusio : etenim respiratio nihil aliud atque sanguinis circulationis auxilium Cartesio esse videtur ; adeoque duæ hæ corporis functiones connectuntur ut utriusque organa simul immutentur « quod autem animalia quæ pulmone prorsus carent, unum tantum in corde ventriculum habent. » (In hisce lineis summum anatomicum et recentiorum inventionum quasi divinatorem Cartesius sese ostendit.) (1)

Concoctio nil aliud est ac sanguinis formatio, ciborumque mechanicâ ratione conversio : quam Cartesius aquæ apud calcem vivam agenti comparat. Agunt enim apud cibos mansos succi eosque effervescere cogunt ; qui ita dilatati in poros truduntur, per quos fluunt in magnæ venæ ramos unde ad hepar ducuntur. Crassissimæ eorum partes rectum intestinum petunt : quæ non a chymo nisi ratione mechanicâ segregantur. « Quas equidem tenuiores cibi particulas sola pororum parvitas à crassioribus segregaverat ; planè quemadmodum cùm farina incernitur purior tenuiorque ejus pars per saccum excutitur relictis furfuribus (2).

Constat conversiones intimas quæ è cibis primò chymum, deinde sanguinem efficiunt, Cartesium plane fugisse. Quis autem negabit illum recentiorum deprehensiones multis in rebus prævenisse ? Nonne Cartesius docuit stomacho et bile cibos conteri ? ratam caloris summam concoctionis opera absumi ? At causarum finalium auxilium ad corporis functiones explicandas prorsus depulisse, id philosopho maxime conspicuum esse videbitur : quo animo enim imbuti ad dissimiles ejusdem scientiæ provincias extendendas Claudius Bernard et Carolus Darwin recens processere, Cartesius primus in eadem indagatione totum captum atque incitatum sese ostendit.

---

(1) Descartes. Ed. V. Cousin. Vol IV. p. 346.
(2) Schuyl. De homine, 3. — Ed. Cousin. Vol. IV, p. 337-338.

Sanguinis circulatio non aliis apud *Tractatum de Homine* verbis atque apud quintam *Dissertationis de Methodo* partem describitur. Sciunt omnes in illà operà à Cartesio Hervæi inventionem non simpliciter expositam : addidit enim hypothesin, gratuitam certe, sine qua vero non posset hoc præstans phænomenon suâ de vita doctrinâ complecti : nempe docet cor ignis sine lumine, illi persimilis admodum qui liquorum fervorem comitatur, sedem esse : quare sanguis ut penitus in cor ingressus est, effervescit et idcirco dilatatur. Præterea ignis, quem describit, in corde machinæ humanæ contentus, nulli alii functioni subservit quam dilatando calefaciendoque et insuper attenuando sanguini qui identidem per venam cavam in dextrum cordis ventriculum guttatim decidit (1). Sic Cartesio nil amplius ac liquorum calefactorum dilatatio requiritur ut sanguinis diffusionis ratio certa reddatur. Ne quis tamen istam physiologiam ut imaginariam increpet : omnibus enim fatendum est Cartesium primum, plus quam duo secula, ante alios in viam perrexisse quà nunc doctis iter est ad scientiam corporum viventium perficiendam.

E vividissimis sanguinis partibus, aliæ in cerebrum ducuntur, aliæ in vasa generationi dicata : his nullæ sanguinis partes vel vividiores sunt, vel fortiores, iis exceptis quæ cerebrum ingrediuntur (2). In cerebro autem spiritus formantur animales ; neque enim sanguinem tantum nutriendæ et conservandæ cerebri substantiæ opitulari, sed etiam auram valde subtilem vel potius flammam admodum agilem puramque generare putat Cartesius : quam *spiritus esse animales* dicit. Notandum verò judicat, arterias per quas illa sanguinis portio è corde ad cerebrum deducitur, postquam in infinitos ramusculos fuerint divisæ et illa admiranda composuerint reticula quibus velut tapetis ventriculorum cerebri pavimentum instratum est, congregari circum glandulam quamdam in cerebri meditullio, juxta introïtum ventriculorum sive concavitatum ejus, ibique infinitis fere poris constare. E quibus, negato propter pororum angustiam crassioribus sanguinis partibus transitu, subtiliores duntaxat quibus distenduntur, in glandulam dicit profluere (3). Constat Cartesium in mente nunc quoque præsentem habere comparationem ab incernendo deductam etsi non putat eam iterum esse evolvendam.

---

(1) Schuyl. *De homine*, 3. — Ed. Cousin. Vol. IV, p. 339.
(2) Schuyl. *De homine*, 3. — Ed. Cousin. Vol. IV, p. 345.
(3) *Ibid.* 10. — Ed. Cousin. Vol. IV, p. 346.

Postquam intra cerebrum generati sunt spiritus animales, per nervos tanquam per cavos tubulos profluunt, musculorumque alios extendi alios flecti cogunt, quippe eos distenderunt. « Neque, ut ait Cartesius, intellectu difficilius est, quo pacto machina, de qua sermo, solo spirituum animalium è cerebro in nervos profluentium impetu tam diversimode atque corpora nostra moveatur (1). » Nec non manifestum Cartesio esse videtur hos spiritus, ventulo aut subtilissimæ flammæ simillimos, non posse non ex altero musculo in alterum concitatissime proruere simul atque illis exitus conceditur, quam ad rem non est quod ullam aliam vim, quâ eò deferantur fingat præter solum conatum ad suum juxta naturæ leges motum continuandum, nec quanquam spiritus hi valde mobiles et subtiles sint non obstare tamen quominus vim habeant inflandi, distendendi atque hac ratione indurandi musculos quibus inclusi sunt. « Imo, quia spiritus animales in omnibus membris motus quosdam edere possunt, manifestum est ibi etiam nervos quosdam terminari. Sunt etiam plurimi profecti ubi anatomici nullos visibiles animadvertunt : uti in pupilla, corde, hepate, felle, liene, atque similibus (2).

Postquam explicavit quo pacto corpus humanum per spatium moveatur, videtur Cartesius scopum tetigisse : quippe qui propositum habuerit et opinionem quæ corporis motus animo impelli credit confutare et illos legibus naturæ sive mechanicæ universali subditos demonstrare. Professus erat menti et corpori separatim studere oportere ; cogitante mente absque motu dando vel recipiendo, dante et et accipiente motum corpore absque cogitando ; addiderat mentis scientiam nihil aliud esse ac metaphysicam, corporis nihil aliud ac mechanicam. Porro, quum demonstravisset corporis per spatium motum sequi è spirituum animalium diffusione, quæ ipsa è circulatione sanguinis sequatur, cujus causa calor sit cibis mechanica ratione tritis infusus, usque ad fines ultimos scientia corporum perducta videbatur. Specie tantum : etenim non moventur musculi quin agant sensus et affectus nec agunt sensus et affectus quin mens quasdam ideas concipiat. Ergo scientiæ corporum novæ quæstiones inseruntur.

---

(1) *Ibid.* 10. — Ed. V. Cousin. Vol. IV, p. 355.
(2) Schuyl *De homine*, 10 – Cousin. *Ibid.* Cf. *Passiones*, art. X et XI.

CAPUT II

DE EXTERNA PERCEPTIONE.

Corporis motibus annectuntur rerum externarum perceptiones vel ea quæ gallice dicimus *« sensations. »* Non dubitat Cartesius quin hunc motus cum perceptione nexum tanquam relationem realem judicet. Nihil aliud ei quærendum videtur nisi quomodo ita res externæ apud sensus agere queant ut humanæ machinæ motus incitetur. Nec responsio ejus, etsi quam maxime scientiæ mentis interest, doctrinæ quam de motus natura et causis profitebatur, repugnat. Nec per imaginem, nec per cogitationem, sed per organorum dispositionem, machinæ humanæ motus res externæ incitare ei videntur. « Præterea ut percipiamus quomodo externis objectis, sensuum organa efficientibus, incitetur machina omniaque sua membra mille modis moveat, cogitandum exigua filamenta (quæ modo dixi ex intimis ipsius cerebri penetralibus provenire atque componere illorum nervorum medullam) omnibus illius partibus inesse, quæ cujuslibet sensus organo inserviunt : atque hæc quidem filamenta horum sensuum objectis facillime moveri posse ; cùm vero paululum moventur, ipsa e vestigio trahere cerebri partes, ex quibus originem sortiuntur ; eademque opera recludere meatus quorundam pororum in interiori cerebri superficie existentium. Unde spiritus animales statim cursum suum exorsi, atque per eosdem in nervos et musculos delati excitant motus, iis omnibus similes, quibus nos quoque sensibus nostris, eodem modo affectis, naturaliter concitamur » (1).

Constat igitur non è perceptionibus sensuum nostri corporis oriri motus : namque postquam nervosæ vis effusio spirituumque animalium fluxus tractionem secuti sunt apud filamenta actam quæ permulta per pellem diffunduntur, tum duntaxat contrahi musculi coguntur. Quare

---

(1) Ed. Cousin. Vol. IV, p. 358-359.

tantum abest ut sensuum perceptio motus incitare possit ut ipsa sinè motu quodam, ratione mechanica concitato, oriri nequeat.

Quæcumque externa perceptio consequitur tractionem apud nervorum filamenta actam : qualis vibrat campana, cujus chorda trahitur. Non aliam Cartesius legem perceptionum esse dicit. « Ut exempli gratia si ignis A propius adsit pedi B, particulæ hujus ignis, uti constat, celerrimæ motæ, vi pollent secum movendi partem cutis illius pedis, quem attingunt : adeoque trahentes funiculum CC .....eodem momento aperiunt meatum pori DE, ad quem hic funiculus terminatur. Quemadmodum si funis extremitatem trahas, campana cui altera ejus extremitas cohæret, eodem momento sonum edit (1). »

Tactus organa filamenta sunt nervorum, ejusdem naturæ plurima per totum corpus diffusa (2), quæ res externæ trahunt atque impellunt. Quod si machinæ Deus cogitantem mentem addit, tunc omnes affectus sive doloris sive superficiei sive coloris, sive saporis sive odoris sive luminis exinde sequentur nec alia ex causa pendent omnes illi sensus nisi è tractu.

Voluptas et dolor è tractibus apud nervos actis sequuntur uterque; avulsis autem nervorum filamentis, fit dolor; incolumibus contrà, voluptas.

« Quemadmodum primo si exigua filamenta medullam istorum nervorum componentia tanto trahantur impetu, ut dirumpantur atque à membro cui annexa fuerant avellantur, quo totius machinæ structura quadantenus corrumpitur, cujus interest suum sartum tectum conser-

---

(1) Schuyl. *De homine*, 13. — Ed. Cousin. Vol. IV, p. 359.

(2) Cf. Dioptrice, caput quartum, III. « Ut autem uberius cognoscamus qua ratione anima in cerebro residens, per nervos interjectos impressionem corporum externorum recipiat, tria in iis distinguenda occurrunt : primo membranulæ quibus involvuntur, ex cerebrum circumdantibus tunicis ortæ, quæ multis ramis in modum tubulorum diffusæ, aliæ alio per totum corpus sparguntur, eodem modo quo arteriæ et venæ. Deinde substantia illorum interior, quæ in tenuissima quœdam veluti capillamenta divisa, per tubulorum istorum longitudines, à cerebro unde descendit usque ad membrorum extrema, quibus adhœret, porrigitur; adèo ut in singulis tubis multa hujusmodi capillamenta, non dependentia ad invicem, imaginari debeamus. Postremo spiritus animales qui instar venti, aut aeris subtilissimi, ex ventriculls seu cavis cerebri progressi, per eosdem tubos ad musculos evehuntur. » (Renati Descartes, *Specimina philosophia : seu Dissertatio de Methodo recte regendæ rationis et veritatis in scientiis investigandæ. Dioptrice et Meteora.* Amstelodami, typographia Blaviana, MDCLXXXV).

vari, ex motu qui eo impetu in cerebro excitabitur, causam concipiet sentiendi dolorem. Si vero filamenta illa pari ferè impetu trahantur sic tamen ut non rumpantur, nec à membris quibus adhærent, avellantur, motum in cerebro producent, qui testimonium prœbens de bonâ cœterorum membrorum constitutione, animæ dabit causam voluptatem quamdam, quam titillationem vocamus, sentiendi : quæ, ut ad dolorem, respectu causæ, maxime accedat, omnino tamen contrarium edit effectum (1). » Hæc memoranda placita recentissimi psychologiæ conditores reminiscantur. Non aliæ sensibus qui nos voluptate vel dolore afficiunt sunt causæ; namque ut dolor corporis universi respondet perturbationi, quam particularis nervorum instrumenti noxa incitavit, sic voluptas corporis secundo adversus externos stimulos repulsui. E causis naturâ iisdem, gradu duntaxat dissimilibus adversi nascuntur effectus. Attamen, nonne Cartesius labi in causarum finalium doctrinam inscius videtur? Hoc suspicare licet. Quomodo enim intelligi potest machinæ *interesse suum sartum tectum conservari?* Quid hoc testimonium, de bonâ cœterorum membrorum constitutione? Nonne hic causarum finalium auxilium requiritur? Erraret qui specie deceptus hoc crederet. Etenim : 1° causa doloris a causâ voluptatis numero discrepat; nempe tractus quem dolor sequitur adeo vehemens est ut filamenta nervorum avellere possit; 2° extractis nervorum filamentis, æquilibritatem in machinæ structura rumpi facile mechanica explicat; 3° etsi intelligere difficilius sit quomodo voluptas fiat, tamen illo, de quo agitur *bono testimonio* non dubium est conservationem æquilibratis inter machinæ partes, invito tractu, significari. Ut ad psychologiam revertamur, profitetur Cartesius voluptate corporea frui nihil aliud esse ac non dolere et compertum habere nullum destrui organum, quod destructio minata erat. Quod si hanc de voluptate et dolore doctrinam Aristotelis placitis plane conferremus, quam mechanicœ consentanea sit haud obscure cernemus. Neque enim de vi animi nunc parce, nunc immoderate impensâ ibi quæstio est, quum omnia per tractum, organorumque vel destructionem vel defensionem explicarentur, mente duntaxat utrumque testante.

Notandum est enim ibi animum tantum pati. Etenim quum nervosum avellitur filamentum atque exindè destruitur machinæ æquilibritas

---

(1) Schuyl. *De homine*, 13. — Ed. Cousin. Vol. IV. p. 361-362.

humanæ, mens cogitans hoc quodam modo afficitur et cogitatio quæ indè nascitur, dolor est; fit autem cogitatio quæ dicitur voluptas si tractus non adeo vehemens fuit ut nervum avelleret nilque aliud effecit nisi æquilibritatem confirmare machinæ, quamvis duæ regiones, inter quas commercium est, naturâ dissimiles sint, quamvis altera motus, altera cogitatio sit, ibi tamen determinationis exemplum mirabile esse videtur. Non moveri potest animus quum corporis expers sit :

Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res.

verum patitur ac determinatur.

Porro, in doloris perceptione, cujuscumque perceptionis externæ exemplar habemus.

Tactus nihil aliud est atque ictus perceptio, quem tractus incitavit illi persimilis quo dolor determinatur.

« Quod si plura ejusmodi filamenta simul æqualiter trahantur, anima sentiet superficiem corporis quod membrum illud, in quo ista finiuntur, attinget, esse lævem atque politam; si vero inæqualiter trahantur et sentiantur, asperam superficiem significabunt (1). »

Etsi Cartesius tribus his lineis nihil addit, ea legisse satis est. Primo enim docemur contactus perceptionem nil aliud esse atque inter læve et asperum distinctionem, quippe ex alio fonte haurimus quid de distinctione inter planam et solidam dimensionem discamus (notandum est Cartesium in gregem nec eorum quos gallicè *empiriques* nec eorum quos *nativistes* vocamus, reduci posse, quippe ei res extensa non objectum quod percipiatur sed innatus conceptus esse videtur). Deindè contactus à conscientia musculorum motuum clare distinguitur, nec dubium est quin Cartesius, si ulterius processisset, illud problema *de sensu musculorum* proposuisset. Tandem nulla allia ex causa pendet perceptio vel asperi vel politi nisi è natura tractus hujus qui apud nervorum filamenta agitur. Politi si simul et æqualiter nervorum filamenta trahuntur, asperi si inæqualiter, sensum habemus. Nil clarioris, nil magis methodo consentanei nec recentissimæ scientiæ explicationibus propioris inveniri potest.

Ut contactus dolori, sic contactui calor, sapor, odor, sinus, color æquiparatur. De saporibus et odoribus brevis est sermo, quippè

(1) Schuyl. *De homine*, 13 — Cf. Ed V. Cousin. vol. IV. p. 362.

Cartesius talia subtiliter enucleare non necessarium judicat. « Filamenta vero, è quibus medulla nervorum linguæ constat, adeoque gustus organis inserviunt, facilius moveri possunt iis, quæ tactui in genere opitulantur : tum quia paulo dissolutiora sunt, tum etiam quia membranulæ quibus involvuntur, sunt exiliores. Cogita igitur, exempli gratia, diversis quatuor modis ea moveri posse particulis salis, aquæ acidæ, communis et vitæ : quarum omnium particularum quantitatem et figuras tibi explicui : adeoque facere illas posse, ut anima quatuor sapores omnino differentes percipiat (1)... Odoratus quoque creatur plurimis filamentis a base cerebri ad nasum promanantibus. Quæ a tactus aut gustus nervis nullatenus differunt, nisi quod extra cranium, quo cerebrum continetur, non protendantur (2). » Ergo contactus perceptiones à sapore nihil aliud sejungit nisi quod ille sensus, tanquam organis filamentis utitur et exilioribus et dissolutioribus. Sapores autem ab odoribus loco tantum differunt, quippè quos vocamus odores, sapores, in interiori cranio percepti, esse videntur.

Major etiam est inter calorem (aut potius temperiem) et contactum similitudo. « Quod si filamenta non simul, sed alia post alia quadantenus separatim impellantur, uti semper fit calore, quem cor cœteris membris impertitur, anima nullum omnino sensum percipiet nec magis quam à consuetis alioqui suis actionibus afficietur. Hic porro motus externa causa si paululum intendatur, vel diminuatur, augmentatio quidem caloris, diminutio quidem frigoris sensum animæ exhibebit. Denique pro ratione variorum modorum, quibus nervorum filamenta afficiuntur, anima quascumque qualitates ad tactum in genere spectantes sentiet, humiditatem nimirum, siccitatem, duritatem, gravitatem et similes (3) ».

Sonus nontam per tractus quam per impulsus est explicandus. Aeris externi tremuli motus membranulam feriunt ante auris concavitatum orificium protensam, atque eo modo afficiunt filamenta crassiora quidem quam ea quæ sensibus jam explicatis inserviunt. « Tremuli hi impulsus ad cerebrum usque nervorum ope pertingentes animæ prœbebunt occasionem sonorum ideam concipiendi. »

(1) Schuyl. *De homine*, 14. — Cf. Ed. Cousin, vol. IV. p. 365.
(2) Id. *De homine*, 15. — C f. Ed. V. Cousin, vol. IV, p. 365.
(3) Schuyl, *ibid.* — Cousin. Vol. IV, p. 362.

Ceterum necesse est plurimorum impulsuum ictibus, per intervalla separatis, aurem feriri ut sonus percipiatur. « Unus duntaxat non nisi murmur inconditum et momento periturum auditui exhibebit, in quo sola magnitudinis et parvitatis varietas, prout nimirum auris magis aut minus impulsa fuerit, animadverti potest. Sed cum plures impulsus invicem sese subsequuntur ut vel visui manifestum, quotiescunque chordæ vel campanæ tremulæ sonum edunt, quatenus magis minusve æquales fuerint, component sonum (1) ». Nolumus quidem vituperabili parere consuetudini quâ incitati multi conantur historici apud auctorem cui ipsi student posterorum deprehensiones jam inventas ostendere. Tamen nobis non licet hoc prætertire, Cartesium, quamvis *statum surdæ conscientiæ* non descripserit, in viam perrexisse quæ ad illum cognoscendum duceret. Non enim dubium est quin perceptiones evanescentes cognoverit. Sin aliter, quid esset hoc, de quo loquitur, *murmur inconditum et momento periturum* ? Apud reliquam de sono doctrinam nihil invenies quod physice atque physiologia non proprium fecerint. De voluptate, quæ è musica hauriatur, ulterius loquendum.

Ubi de visu agitur, Cartesius hæc aggreditur atque solvit problemata quæ nostro tempore indagata, psychologiam in viam meræ atque exactæ scientiæ iterum pergere coegerunt. Ne requiramus sane apud Cartesium virorum Helmholtz et Wundt operas. Verum enimvero asserere possumus nisi Cartesius physicus et physiologus fuisset, non futurum fuisse ut magnum et subtilem psychologum sese ostenderet, necnon metaphysicæ et geometriæ explanandis profuisse quæ psychologus indagavisset (2).

Præmonet Cartesius fore ut non causis studeat quæ menti omnes inter colores differentias percipiendi occasionem præbeant. Postquam de venustate quædam exposuerit, monet sese explicaturum « quid istud

---

(1) Schuyl. *De homine*, 16. — Cf. Ed. V. Cousin. Vol. IV, p. 368.

(2) C f. Dioptrice, caput sextum, II. « Quantum ad lumen et colorem, quæ sola propriè ad sensum visionis pertinent, cogitandum illam animæ naturam esse, ut per vim motuum, qui in illâ cerebri regione occurrunt, unde tenuia nervorum opticorum fila oriuntur luminis sensum percipiat : per eorumdem autem motuum diversitatem, sensum coloris. Quemadmodum per motus nervorum, auribus respondentium, sonos dignoscit : et ex motibus nervorum linguæ, varios sapores ; et in universum, ex motu nervorum totius corporis moderato, quamdam titillationem sentit ; et. dolorem ex violento ; quum interea in his omnibus similitudine nullâ opus sit inter ideas, quas illa percipit, et motus qui earum sunt causæ, »

sit quod animæ rationem exhibet percipiendi situm, figuram, distantiam magnitudinem, aliasque similes qualitates ; quæ non uno duntaxat sensu percipiuntur : cujusmodi videlicet illa sunt de quibus hùc usque ; sed quæ tactui et utcunque aliis sensibus sunt communia. Ergo visui studere non potes, nisi prius sensibilibus studuisti communibus ; sic tantum inchoato perceptionis externæ studio quasi fastigium impones.

Sed priusquam docere quarum gratiâ conditionum loci ac distantiæ perceptio fiat, aggreditur, propositum habet Cartesius causas cur lucentes imagines immutentur determinare. Nusquam fortasse majori curæ habuit mutuam inter conscientiæ statum et organorum motum relationem ostendere. « Nota igitur primò cum manus A, exempli gratiâ, tangit corpus C, partes cerebri B undè illorum nervorum filamenta proveniunt aliter disponuntur quam si quid tangeret alius vel figuræ, vel magnitudinis, vel alibi situm. Atque propterea anima per peculiarem illum modum quo afficitur, cognoscere potest corporis situm, figuram, magnitudinem, similesque qualitates. Eademque ratione si oculus D respiciat objectum E, anima situm illius objecti cognoscere poterit : quia illius oculi nervi alio modo erunt dispositi quàm si aliorsum respiceret (1) ».

Quæ cùm ità sint, nihil in oculo potest immutari quin in perceptione visibilium par fiat immutatio ; nec minus variis crystallini humoris quàm variis nervi optici dispositionibus visus determinabuntur perceptiones.

Situs perceptio pendet a causis quæ oculi nervorum dispositionem afficiunt ; quas si cum his causis conjungis quæ crystallini humoris dispositionem afficiunt, id habes à quo distantiæ perceptio pendeat. « Eadem cognoscere potest distantiam puncti I, quia crystallini humoris dispositio alterius erit figuræ ut omnes radii venientes ab hoc puncto præcise in oculi fundo colligantur (2) ».

Ut intelligis perceptionem figuræ per distantiæ perceptionem, sic distantiæ per figuræ perceptionem. « Quinetiam anima cognoscere potest figuras puncti B et simul omnium aliorum è quibus radii eodem tempore intrabunt oculum : quia humore crystallino eo modo disposito, radii puncti 3 non tam præcisè in puncto 4 congregabuntur quàm illi

---

(1) Schuyl. *De homine*, 20. — Cf. Ed V. Cousin, vol. IV, p. 379.

(2) Schuyl. *Ibid.*— Cf. Ed. V. Cousin, *ibid.*

qui veniunt à puncto 1 colliguntur in puncto 2. Idem de cœteris esto judicium. Sed neque illi servata proportione tantis viribus agent uti aliàs quoque significatum. Anima denique percipere potest magnitudinem objectorum visum afficientium aliasque similes qualitates solâ notitiâ quam habet distantiæ situsque punctorum omnium quibus constat (1). » Invicem ubi de rei cujusdam magnitudine opinionem quamdam mens concepit, incitatur ut de distantiâ quoque judicet. Quo loco nullus doctrinarum de mente historiæ magis interest « quemadmodum etiam vice versâ de eorum distantiâ judicabit sola opinione quam concepit de ejus magnitudine. Nota quoque si singulæ hæ duæ manus F et G diversum prehendant baculum H et I quibus tangant objectum K; quamvis anima illorum baculorum longitudinem nullâ aliâ ratione noverit, cognitâ tamen distantiâ duorum punctorum F et G et magnitudine angulorum E G H et G F I velut naturali quadam geometriâ, certior esse potest ubi sit objectum K. Similiter si ambo oculi L et M directè respiciant objectum N, magnitudo lineæ L M et simul angulorum L M N et M L N demonstrabit ei ubinam sit punctum N (2) ».

Agnoscit igitur haud obscurè Cartesius quam partem in perceptione judicium obtineat; etiam in sensu ratiocinationem præsentem esse fatetur. Visus enim variæ perceptiones æquiparantur aliaque in alius locum succedere potest. Ergò quamvis omne judicium è voluntate liberâ promanet, tamen mens organorum motu ad judicandum incitari potest. Indè plurimos nasci errores necesse est; atque ut ait ipse Cartesius. « In hisce omnibus sæpenumerò decipi potest anima.» Indè quoque præstantes consequentiæ de sensibilium notitiarum auctoritate et pondere : nempè Cartesio propter hoc, è fonte metaphysices, demonstratis primum Dei existentia voluntatisque libertate, contemptâque experientia, certitudo scientiarum mundique explicatio mechanica hauriendæ esse videbuntur.

Uno verbo, visus nihil aliud est ac tactus cujusdam generis; nihilque in visu invenies, quod non explicare possis, si prius tactui studuisti. Indè perpetuò manus functionibus oculi functiones comparari cernimus.

---

(1) Cf. Dioptrice, X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI.

(2) Schuyl. *De homine*, 20. — Cf Ed. V. Cousin, vol. IV, p. 380.

Nihil Cartesio defuisset si qudem quæsiisset quomodò visa cum tactis consociari queant.

Nostro philosopho tactum dolori simillimum videri didicimus; quippe qui, non aliter ac dolor è tractu, apud nervum acto, sequatur. Dolorem ergò perceptionis externæ totiusque experientæ fundamentum esse reperimus. Liceat temerariis interpretibus nescio quam deprehendere similitudinem inter Cartesii placita illamque recentem philosophiam quæ vitam omnem cunctaque in mundo universo è malo promanare asserit. Tali collationi historiæ repugnat methodus. Contrâ non absurdum est hanc doctrinam Condillac placitis adnectere, quum vigente fère Cartesianâ philosophiâ, suam Condillac condiderit. Novêre omnes appetitum sensus atque attentionis fontem ac principium Condillac videri. Quid est autem appetitus nisi ipsius radix doloris? Etsi *Tractatus de sensibus* origo neutiquam apud *Tractatum de homine* requirenda sit, compertum habemus de una re praestantissima Cartesii testimonium Condillac confirmasse. Verùm enimverò quum organorum cognitionem edoctus, Cartesius è sensu atque dolore errores tantum manare posse ratum haberet, scientiæque fundamenta aliundè quaereret, non dubitabat Condillac, quin sensum ipsum, quem ab appetitû pendere fateretur, cognitionis originem esse diceret. Ut uno concludamus verbo, apud *Tractatum de Homine Tractatum de Sensibus* jam confutatum habemus.

Propterea quod omnem sensum nil aliud ac dolorem variis mutatum rationibus esse demonstravit, instigatur philosophus ut aliam præstantissimarum recentissimæ psychologiæ deprehensionum ante omnes prælibet; agnoscit enim novum sensuum esse ordinem, nempè interiorum affectus organorum. Licuit Alexandro Bain ejusque discipulis commentariis magis expressis hoc phœnomenon describere, at vincere Cartesium claritate nequiverunt. « Explicatis itaque quinque sensibus externis, quatenus in hac machina reperiuntur : sensus internos, quibus eadem instructa sit, silentio transire non licet. Cùm igitur liquor quem suprà dixi in stomacho velut aquæ fortis officio defungi et ex sanguinis massa per arteriarum extremitates in ipsum continuo illabi, sufficiens alimentum istic non invenit, quod consumat aut in quod omnes suas vires exerceat, in ipsum stomachum illas convertens, filamenta nervorum ejus solito vehementius agitat, commoventur cerebri partes, e quibus illa oriuntur. Adeoque in causa sunt, quod anima, illi machinæ unita, generalem famis ideam concipiat. Si vero liquor ille ejus sit temperamenti ut vires suas magis

exercere possit in certos quosdam cibos quam in alios ; quemadmodum communis aqua fortis citius metalla solvit quam ceram : peculiari quoque modo in nervos stomachi aget : unde anima tum concipiet appetitum hos potius cibos quam alios comedendi. Hic notari potest mira hujus machinæ conformatio, quod fames oriatur ex jejunio : sanguis enim circulatione acrior fit et ità liquor ex eo ad stomachum veniens nervos magis vellicat : idque modo peculiari, si peculiaris sit constitutio sanguinis : undè pica mulierum. Liquor autem iste præcipue in stomachi fondo congregatur ibique sensum famis proritat. Quinetiam plures ejus partes ad gulam ascendunt. Et vero cùm minus copiosè illic feruntur ad humectandum et poros per modum aquæ replendos, non aliter eò tendunt quam per modum aeris aut fumi : proinde insolito modo in nervos agentes, motum in cerebro excitant, cujus occasione anima sitis ideam concipiat. Pari ratione quando sanguis purior est et subtilior citiusque effervescit, disponit nervulum qui ibi est, eo modo qui ad voluptatis sensum excitandum requiritur : vel etiam si sanguis contraria temperie sit affectus, tristitiæ sensum efficiet. E quibus manifeste constat, quidnam in illa machina reperiatur, quod aliis sensibus interioribus qui nobis insunt, sese offerat (1). »

Hæc observatio per se ipsam maxime digna est quæ studium incitet : thesim quidem confirmat quà asseritur rerum sensibilium ideas naturalibus desideriis respondere sensuumque perceptiones re verà nihil amplius exprimere ac dolorem. Ergo Cartesii doctrinæ de cognitione novum lumen affertur : Cartesio enim non licebat philosophiam empiricam a scepticà distinguere. Quamvis ipse demonstrare non curasset sensibilem cognitionem non posse aliam esse ac relativam, non dubitaremus asserere quin ei cognitio sensibilis cognitioque relativa una atque eadem res esse viderentur.

Verùm non sivit historicos dubios remanere. Quascumque sensibilium rerum ideas percipienti proprias esse atque ex ejus mente dependere monstravit ; quem nullus recentiorum psychologorum vicit claritate. Legimus enim apud *Tractatum de Mundo*, sive *de Lumine* a Cartesio lectorem præmonitum, quùm de lumine

(1) *De homine*, 21, 22, 23. — Cf. Ed. Cousin, vol. IV, p. 383-384.

sermo sit, inter sensum quem luminis habemus, planius inter ideam quæ in nostrà imaginatione oculorum ratione fit atque flammam vel solem vel quascumque res quæ in nobis hunc sensum forment, posse aliquid discrepare : etsi enim quisque facile ratum habet ideas quas in mente volvit his rebus à quibus oriuntur simillimas esse, nulla tamen ratio est quæ nobis hoc ad certum redigat. Contrà nonnullæ sunt experientiæ quibus in dubitationem inducimur. Num quis opinatur verborum sonum esse similem ideæ quam sibi fingit nostra mens ? Homo quidam os aperit, linguam movet, halitum spirat : quidquid in hisce cernitur, a soni idea quæ exinde fit, planè discrepat. Plerique philosophi asserunt sonum nil aliud esse atque aeris tremorem quemdam aures nostras tundentem ; idcircò si mens eam rem conciperet quam verè auditus exprimit, non sonus, at motus tremiscentis contrà nostras aures aeris conciperetur. Nolentibus forsan nonnullis fidem habere philosophis, aliud afferre exemplum utile censet Cartesius. E sensibus tactus est quem omnes minimè fallacem existimant ; quo nullus quoque est certior. Quare, si constat tactu nonnullas dari ideas rebus è quibus oriuntur planè dissimiles nemo non admirabitur si asseritur tales è visu promanare posse errores. Porro nemo nescit nullam esse similitudinem corporum quæ nos tangunt cum ideis vel titillationis vel doloris quas sibi nostra mens fingit. Dormiscentis pueri labra penna leviter circumacta, sensit ille sese permulceri : num putas titillationis ideam quam hic puer concipit cum aliquà pennae illius parte congruere ? Miles quidam è prœlio redit : vulnus media in pugna inscius accipere potuit ; nunc autem lentior dolet, sauciumque se esse opinatur ; accito chirurgo demptisque militis armis atque inspecto corpore, comperiunt illum nihil aliud sentire ac corium vel fibulam quæ sub arma ingressa molestam se gerebat. Si è tactu eodem quo ille fibulam sentiebat, fibulæ illius orta esset imago, quid opus fuisset ei chirurgo ? « Porro, ait Cartesius, nulla ratio est quà coacti existimemus, cum rebus unde nascatur, luminis sensum magis congruere quam cum titillatione pennæ motum vel cum dolore fibulæ compressionem. »

Cur autem ita sensibiles affectus ab organorum dispositione dependent nisi quod mechanica ratione determinantur ? Porro, ut relativæ sunt, sic orbis universi machinam reddere nequeunt. Ante recentissimos philosophorum, Cartesio patuit percipere nil

aliud esse nisi oppositionem quamdam vel differentiam apprehendere. Compertum habemus perceptionum primam atque simplicissimam dolorique maxime affinem politi esse atque asperi perceptionem. Politum quidem non percipies nisi prius asperum percepisti, quando si trahantur simul et æqualiter nervorum filamenta, politi sensum anima patietur, contra, si inæqualiter trahantur asperum perpetietur. Haud aliter respondet voluptas tractui cuidam æqualiter acto et qui nervorum filamenta apud quæ agatur perrumpere nequeat. E te ipso egredere ; nil aliud invenies atque tractus sive æquales sive inæquales. Perceptionis gratia, eorum differentias et oppositiones animus perpendit : relationes adhuc prorsus ignorat. Ergo si a rationibus mechanicis tota cogitatio penderet, leges orbis mechanicas intelligere non liceret ; quas enim libero fretus judicio duntaxat intelliges. Propterea quod Cartesius perceptiones sensuum relativas esse demonstrasset, non existimare non poterat perceptionem quamcumque errorem esse : inde incitatus fuit ut in erroris natura atque emendatione probationem cur judicium liberum existimandum sit quæreret.

Voluptas illa quæ sonum et colorem comitatur perceptiones relativas esse iterum demonstrat. Voluptatis enim quam musica affert ratio mechanica invenitur (1). « Cùm plures impulsus invicem sese subsequuntur ut vel visui manifestum quotiescunque chordæ vel campanæ tremulæ sonum edunt, quatenus magis minusve æquales fuerint, component sonum quem anima judicabit acutiorem octavâ aut quinta, aut quartâ, aut tertiâ majori. Et denique plures simul soni convenient aut disconvenient, prout minor aut major fuerit similitudo sive proportio et exigua impulsuum intervalla magis minusve æqualia. » Eadem igitur est natura voluptatis sive a musica sive a tactu promanet ; intervallorum æqualitati modulatio respondet, « quemadmodum asperitas lapidis minus grata est quam speculi perpoliti lævitas (2). » De voluptatibus è coloribus ortis, non aliter.

---

(1) Sensus omnes alicujus delectationis sunt capaces. Ad hanc delectationem, requiritur proportio quædam objecti cum ipso sensu, unde fit ut v. g. strepitus scloporum vel tonitruum non videatur aptus ad musicam, quia scilicet aures lœderet, ut oculos solis adversi nimius splendor. *(Compendium musicæ*, p. 6. Amstelodami MDCLXXXIII.)

(2) *De homine*, 16.— Cf. Ed.V. Cousin, vol. IV, p. 369.

« Neque enim hic prolixe describo quænam objecta visum suaviter afficiant, quænam vero eundem offendant. Etenim ex iis quæ de aliis sensibus percepisti, non est difficile lumen nimis intensum lædere visum, moderatum vero recreare, maximè vero colorem viridem ; utpote qui consistit in proportione unius ad duo et se habet uti octava ad consonantes sonos musicæ, et panis quotidianus ad cætera cibi genera, magis nimirum universaliter delectans. Et denique omnes illi diversi colores, quibus novitas gratiam conciliat, qui sæpe majus visui oblectamentum præbent, quam viridis color, sunt velut egregiæ atque insolite excellentis musicæ modulationes aut sapientis coqui delicatior cibus. Quæ quidem in principio sensum velut prurigine suavius afficiunt, sed longe citius tædium nauseamque pariunt quam objecta simplicia et ordinaria (1). » Hanc de venustate et arte doctrinam indigam esse existimabunt quanquam non aliam septimi decimi seculi homines professi videntur. Cartesius quidem correctionem quamdam adhibet, quippe fatetur musicam perfectiorem fieri posse « si modo observemus suaviora non absolute sensibus esse gratiora, sed ea demum quæ moderatiori titillatione sensus afficiunt. Quemadmodum sal et acetum linguæ sæpe majori oblectamento sunt quam aqua dulcis (2). » At, quid Cartesius de pulchritudine censuerit, prætereamus : non refert enim ; alia est ratio quâ placitum hoc præstans videtur : nempè ibi asseritur convenientiam quamdam esse voluptatis cum æqualitate vel proportione, molestiæ cum inæqualitate. Ergo si sensus nec quantitatem nec rerum rationem mechanicam exprimunt, quasi umbram tamen et præsagium apprehendunt. Sive a venustatis contemplatione sive ab organis oriatur voluptas eàdem est natura ; ideò ea quæ ab organis promanat voluptas ordini ac proportioni respondet. Itaque etsi philosopho ordinem ac proportionem indaganti sensuum perceptionibus uti non satis sit, tamen illis fretus non prorsus errores captat. Sensibilis perceptio nil aliud est ac doloris voluptatisque conscientia, quâ solâ nixus, ordinem universum cognoscere certe nequeas. Attamen, si aliâ ex fonte notitiam hausisti, licebit perceptionem sensuum cum hâc notitia conciliare. Nil aliud omnis de cognitione Cartesii doctrina significat.

---

(1) *De homine*, 20. — Cf. Ed. V. Cousin, vol. IV, p. 378.

(2) *De homine*, 17.—Cf. Ed.V. Cousin, vol. IV, p. 369.

Caput III

DE PASSIONIBUS

Passionibus velut sensuum perceptioni Cartesium ità studuisse ut methodo, quæ de re quàcumque more geometrico tractari velit, pareret, demonstrare nobis in animo est (neque enim de passionibus adeo inclytam illam doctrinam prorsus enucleare utile existimamus).

Cartesius ratum habet : 1° passiones naturaliter sequi e distributione ratæ motuum quantitatis per organa ; 2° iisdem effectus quosdam in corpore determinari in quibus et motus physico et affectuum signa psychologo cernere licet ; 3° sine passionibus vitam vitam non posse incolumem permanere.

Passiones sequuntur e motus cujusdam quantitatis mutatione. Quâ lege nihil est Cartesii placitis aptius : eam quidem in libro qui « *Passiones* » inscribitur nusquam invenies. Contra in hisce *Tractatus de homine* lineis liquidissime expositam cernes. « Primò quantum ad spiritus animales attinet, in diversis temporibus existere possunt vel majori vel minori copia : eorumque partes vel magis minusve inter se inæquales, atque harum differentiarum ratione, omnes diversæ complexiones et naturales affectus, quibus afficimur, saltem quatenus non dependent à constitutione cerebri vel peculiaribus affectibus animæ, in hàc machina repræsentantur. Si enim hi spiritus solito copiosiores existant aptitudinem habebunt motus in illa machina excitandi planè similes iis qui in nobis testantur bonitatem, liberalitatem et amorem ; similesque illis qui indicant nos esse præditos confidentiâ et audaciâ : si nimirum ipsorum partes sunt fortiores crassioresque, promptitudinem vero, diligentiam et desiderium si sint magis agitatæ et tranquillitatem ingenii si æqualiter moveantur. Quemadmodum contra malignitatem, timiditatem, inconstantiam, negligentiam et inquietudinem præ se

ferunt, si qualitatibus illis careant. Sciendum porro omnes alias complexiones sivè naturales cupiditates ex his jam recensitis componi sive ab iis dependere (1). »

Hunc primitivarum passionum ordinem illi non congruere quem in libro *de Passionibus* expositum legimus, primo adspectu omnes agnoscent. In ista enim opera sex primitivæ dicuntur esse passiones : nempè admiratio, amor, odium, cupiditas, lætitia et mœror. Quarum duæ tantum iis congruunt quæ tanquam primitivæ in tractatu de homine annumerantur. Notandum quidem est in hoc tractatu potius naturales affectus quam proprie passiones a Cartesio indicari. Cetèrum parum refert : quippe nullas passiones ordine disponet (nec disponere utile est). Interest autem mirum in modum professum esse Cartesium inter passionum qualitatem spirituumque animalium quantitatem, relationem existere.

In operâ quæ « Passiones » inscribitur, non alia passionibus causa tribuitur ac spirituum motus animalium. Sed non dicitur passionum qualitatem à spirituum quantitate pendere : nempè asserit Cartesius unam et eamdem motus quantitatem duabus adversis passionibus respondere posse. Ait enim facile cognosci superbiam et abjectionem non solum vitia esse, sed etiam passiones, quod eorum commotio valde se prodit extrinsecus in illis qui subito vel inflantur vel dejiciuntur ex novâ quadam occasione ; posse autem dubitari num generositas et humilitas quæ virtutes sunt possint etiam esse passiones quia eorum motus minùs conspicui sunt; non videt tamen « *quî idem* motus spirituum qui inservit confirmandæ cuidam cogitationi cujus fondamentum malum est, nequeat similiter eam confirmare cùm justo nititur fundamento (2) ». At duæ res eædem esse possunt quæ non idcirco sint æquales. Ut enim addit Cartesius, quoniam superbia et generositas in propria æstimatione consistunt et in eo solum differunt quod ea sui æstimatio vel injusta sit vel justa, philosopho videntur posse referri ad unam eamdem passionem, quæ excitatur motu composito e motibus admirationis, lœtitiæ et amoris, tam ejus quo quis se ipsum amat quam illius qui habetur pro re ea quæ efficit ut quis se ipsum æstimet ; sicut è contrario motus qui excitat

(1) *De homine*, 26. — Cf. Edit. V. Cousin, vol. IV, p. 387-388.
(2) *Passiones*, Pars III, CLX.

humilitatem sive honestam sive vitiosam, compositus est è motibus admirationis, tristitiæ et amoris proprii mixti cum odio defectuum qui efficiunt ut aliquis se despiciat. Nihil differentiæ in his motibus observandum esse existimat Cartesius nisi quod motus admirationis duas habet proprietates ; primo quod inopinata occupatio eum reddat vehementiorem ab initio ; deinde quod in suo progressu sit æqualis, id est quod in cerebro spiritus eodem se tenore movere continuent. Quarum proprietatum primam quidem potius in superbia et abjectione reperies quam in generositate et honesta humilitate ; ultimam contra melius in his observabis quam in illis (1). — Compertum ergo habemus in libro *de Passionibus* nec a Cartesio derelictam nec resputam ideam præcipuam quam in *Tractatu de homine* professus erat : quam quidem non sivit locum illum obtinere quo digna esse videatur nec sine causa : Non dubium quin Cartesius librum *de Passionibus* scripserit ut duabus satisfaceret curis quibus et generata et quodam modo dilacerata sua fuerit psychologia : nempe ut in animo rationali non esse corporalium functionum vel motuum causam quærendam ostenderet, utque nihilominus libertatem, scilicet judicii, errorisque et certitudinis conditionem nobis inesse probaret. (Aliis verbis voluit simul et omnia quæ sunt visibilia legibus parentia mechanicis ostendere, et esse quasdam conditiones sine quibus leges mechanicas nec cognosci nec intelligi posse à nobis probare). Ut solveretur problema necesse esset nullam conditionum alteri posthaberi. Porro non dubium est quin in libro *de Passionibus* curæ libertatis tuendæ cura mechanismi demonstrandi posthabita sit. Etenim nusquam magis quam in hujus operis cursu Cartesius illa intempestiva glandulæ hypothesi abuti cernitur. Namque ethice meras doctrinæ curas perturbavit. Tractatus *de Passionibus* tertia pars est quasi critices Rationis practicæ antecessus.

Ut à motibus organorum sequuntur passiones, sic organorum motus determinant. « Observationes quas scribere prolixum foret, occasionem mihi dederunt judicandi, quod cum intellectus sibi repræsentat aliquod objectum amoris, impressio quam hæc cogitatio facit in cerebro, deducat spiritus animales per nervos sextæ conjugationis ad musculos qui circà intestina et stomachum sunt modo convenienta ad efficiendum ut succus ciborum qui convertuntur in novum sanguinem, transeat

(1) *Id.*, *ibid.*

celerrimè ad cor, nec subsistat in jecore, et qui eo propulsus majori vi, quam qui est in aliis corporis partibus, illud ingrediatur copiosius, ibique excitet fortiorem calorem, quia crassior est eo qui jam sæpius rarefactus fuit circulando per cor : unde fit ut mittat quoque ad cerebrum spiritus, quorum partes crassiores et agitatiores solito sunt : et his spiritus corroborantes impressionem quam fecit prima cogitatio objecti amabilis, cogunt animam immorari illi cogitationi (1). » Num hic motus postquam sic passionem genuit, illico cum conscientiæ statu qui ex eo pendet (nec est aliud nisi attentionis effectus) extinguetur et in nihilum revertetur ? Si ita res essent, erraret qui res ratione mechanica regi crederet. Namque motus rata quantitas in cogitationem quamdam, videlicet in rem inextensam expertemque quantitatis mutaretur. Non ità : passionibus signa adjunguntur quæ sunt tantum motus illis æquales quibus passiones determinatæ sunt. « Quod hic posui, ait Cartesius, satis aperit causam differentiarum pulsus et omnium aliarum proprietatum quas supra vindicavi his passionibus ut non opus sit ultra immorari in illis magis explicandis. Sed quia solum observavi in singulis quod observari potest, ubi unaquæque illarum sola est et inservit cognoscendis motibus sanguinis et spirituum qui eas producunt, superest adhuc ut dicam de pluribus signis externis, quæ eas comitari solent et quæ melius observantur cum plures simul sunt mixtæ quam cum separatæ sunt. Præcipua horum signorum sunt actiones oculorum et vultus, mutationes coloris, tremores, languor, leipothymia, risus, lacrymæ, gemitus, suspiria (2). »

Motus qui passiones exprimunt horum motuum continui sunt qui eas determinant. Omittamus enim et oculorum motus et lacrymas, quibus separatim studere oportet ; reliqui motus significantes, videlicet rubor, pallor, tremores, languor, leipothymia, risus, gemitus, suspiria, nulla ab alia causa oriuntur nisi a motu seu sanguinis seu spirituum animalium.

Tremoribus atque languori non alia est causa ac spirituum motus ; quippe languor est dispositio ad relaxationem et cessationem omnis motus, quæ in omnibus sentitur membris. Ut tremor, ex eo provenire videtur quod nervos non sat multi spiritus ingrediantur, sed modo

(1) Pars II, articulus CII.
(2) *Passiones*. Pars II, articulus CXII.

diverso : nam causa tremoris est, quod spirituum non satis sit in cerebro ad glandis determinationibus parendum, cùm eos ad aliquem propellit musculum; languor autem ex eo sequitur quod glans eos ad influendum in hos musculos potius quam in illos non determinat (1).

Contra nec rubori nec pallori nec leipothymiæ, nec risui, nec gemitibus, nec suspiriis alia esset causa quam sanguinis ad pulmones modo vehementior modo lentior modo rarior modo abundantior corrivatio (2).

At lacrymarum peculiaris est determinatio. Ut bene earum intelligas originem, observandum est ex oculis plus quam ex omnibus nostri corporis partibus prodire vapores propter nervorum opticorum magnitudinem et parvarum arteriarum per quas eo veniunt multitudinem : Ut sudor solis constat vaporibus, qui cum ex aliis partibus egrediuntur, in illarum superficie in aquam convertuntur, ità lacrymæ fiunt ex vaporibus qui ex oculis egrediuntur (3).

Nemo talem explicationem nota dignam existimaret nisi novam nobis daret occasionem ostendendi quantà curà Cartesius corporalia physicis phœnomena componat. Eadem enim illi lacrymarum atque pluviæ origo esse videtur (4). Ut hæc amplius simus edocti, nos hortatur ad suum qui inscribitur *Meteora* librum legendum. Porro in ista opera docet, etsi paululum confuse, vapores densari postquam caloris ratam quantitatem perdiderunt. Leges ergo maxime generales, expressionem ut ita dicam, quà nulla alia affectibus nostris magis congruit, regere Cartesio videntur.

De actionibus oculorum et vultus, quædam observantur ad finem operis multum pertinentia. Oculorum quidem actiones, etsi eas facilè percipiamus et sciamus quid significent, non facile est describere. Unaquæque enim composita est e plurimis mutationibus quæ accidunt motui et figuræ oculi, quæ adeo particulares et parvæ sunt ut earum unamquamque separatim non percipias etsi id quod ex earum conjunctione resultat admodum facile observabis (5). Vultus actionibus oculorum actiones possunt comparari. Etsi enim majores sunt oculorum actionibus, eas tamen non facile distingues. Adeo parum differunt ut homines reperias qui eumdem ostentant vultum cum plorant atque alii cum rident. Adde vultus et oculorum actiones non minus a voluntate quam a natura promanare : quod certe plurimum interest. Verum est aliquas esse notabiles, ut sunt rugæ frontis in ira, certi quidam motus nasi et labiorum in indignatione et irrisione; sed non videntur esse tam naturales quam voluntariæ (1). Plane discrepare ab iis qui recentissime passionum signis studuerint Cartesius videtur. In libro haud obscuro vir Mantegazza (2), duas, quantum ad signa attinet, corporis partes esse dicit nempè truncus et facies; necnon a reliquâ facie oculos distinguendos esse judicat. Porro, secundum doctum Italianum, nulla sunt voluntati dociliora, nulla facilius dissimulantur quam signa quæ truncus exprimit; nullum contra est organum oculo indocilius. Minus autem discrepare fateris si animadvertis Cartesio dissimulandi facultate indicari voluntatis actionem apud signorum organa. « Et in genere omnes actiones tum vultus, tum oculorum possunt anima mutari, cum volens occultare suam passionem sibi fortiter imaginatur contrarium; ità ut possint æque adhiberi ad dissimulandos affectus, ac ad illos declarandos (3). » Fatendum quidem est Viro Mantegazza simulandi potestatem dissimulandi potestati respondere. Verum fortasse Cartesius sapientius dicit, estque voluntatis actio eo minor quo potentior est commotus musculus. (Intelligunt omnes voluntatem nobis nil aliud videri atque inhibendi potestatem).

Motus qui passionum signa sunt iis aequiparantur qui passiones determinant. Nota enim primum a motus allati quantitate, sive sanguis sive spiritus animales afferuntur, naturam pendere signi. Colorem lætitia magis vivum et purpureum reddit, quia cordis cataractas aperiens, efficit ut sanguis citius per omnes venas fluat, et calidior subtiliorque factus mediocriter omnes vultus partes inflet; quo facies et lætior fit et serenior (4). Tristitia contra orificia cordis contrahendo efficit ut sanguis lentius per venas fluat et frigidior crassiorque factus

(1) *Ibid.* articulus CXIX.
(2) *Ibid.* articulus CXIV, usque ad CXVII, tum CXX usque ad CXXVII, denique CXXXV.
(3) *Ibid.* art. CXXVIII.
(4) *Passiones*, articulus CXXIX.
(5) *Passiones*, articulus CXIII.

(1) *Ibid.*
(2) Mantegazza. *La physionomie et l'expression des sentiments*. Paris. Alcan.
(3) *Passiones*, articulus CXIII.
(4) *Ibid.* Articulus CXV.

minus loci debeat occupare, ità ut sese recipiens ad latiores quæ sunt cordi propiores, deserat magis remotas, quarum visibiliores cùm sint in vultu, ea ratione apparet pallidus et emaciatus; præcipue cùm tristitia magna est aut subito advenit (1). Tremoribus autem duæ sunt diversæ causæ; quarum altera est, quod aliquando nimis pauci spiritus veniant è cerebro in nervos, et altera quod aliquando nimis multi veniant ad rectè claudenda ostiola musculorum quæ debent esse clausa ut determinentur motus membrorum (2). Prima causa apparet in tristitia et in metu, ut etiam cùm frigus tremorem inducit. Namque hæ passiones nihilominus ac frigus aeris, adeo possunt sanguinem condensare ut cerebro non suppeditet sat spirituum quos indè in nervos immittere queat; alteram causam in iis invenies qui aliquid fervidè cupiunt aut ex irâ valde æstuant ut est in illis qui ebrii sunt. Etenim ut vinum, ità hæ duæ passiones aliquando spiritus adeo multos ad cerebrum mittunt, ut inde ordine in musculos deduci nequeant (3)

Porro motus sanguinis qui mœrorem ab illis qui gaudium determinant nihil nisi quantitate discrepant. « In lætitia non tam agunt nervi lienis, jecoris, stomachi aut intestinorum, quam qui sunt in reliquo corpore, et specialiter ille qui circà orificia cordis est, qui ea aperiens et dilatans, facilitatem suppeditat sanguini quem alii nervi ex venis propellunt ad cor, illud subeundi et ex illo egrediendi majori copiâ solito. Et quia sanguis qui tum cor subit, jam sæpius illud pertransivit, veniendo ex arteriis in venas, ideo se facile dilatat, et producit spiritus, quorum partes cùm sint valde æquales et subtiles, aptæ sunt formandis et firmandis impressionibus cerebri, quæ dant animæ cogitationes lætas et tranquillas (4).... Contra in tristitia orificia cordis valdè contrahuntur per nervulum, quo circumdantur, nec ullo modo sanguis venarum agitatur; quod efficit ut ex eo parum admodum cor adeat; et interim viæ per quas succus ciborum fluit ex stomacho et ex intestinis ad jecur, apertæ manent; undè appetitus manet imminutus, nisi cum odium, quod sæpe tristitiæ junctum est, eas claudit (5). »

---

(1) *Ibid.* articul. CXVI.
(2) Cf. art. XL.
(3) *Ibid.* art. CXVIII.
(4) *Ibid.* Articulus, CIV.
(5) Articulus, CV.

Item nihil nisi quantitate discrepant motus ii qui cupiditatem ab iis qui pavorem gignunt : hæ sunt enim duæ passiones quas tremores significant.

Non ità passio quæcumque motus significantes determinaret nisi eadem vitæ conditio esset (1). In quo vituperandus est Cartesius quod postquam agnovit eadem natura esse motus significantes ac motus utiles eos tamen discernere non tentavit. Tale onus recentiorum operæ servabatur. Novere quid de ea quæstione adeo perfecte scripserit Carolus Darwin. Cui quidem motus significans uno duntaxat in casu vitæ conditio esse videtur : nempè quum nervosi fluxus manatio propter hoc utilis fit : exempli gratiâ talis est rubor. In multis aliis casibus inutilis est, ut quum corporis habitus sponte immutetur et ipse sibi opponit (2) vel quum consuetudo olim utilis nunc incassum superstes est.

Cartesius quidem existimat : 1° passionem quamcumque primitivam exprimi motibus ipsis qui eam determinavere; 2° corpus servari non posse sine passionibus primitivis. « Anima non aliter immediatè monetur de rebus quæ corpori nocent quam sensu doloris, qui producit in ipsa, primum passionem tristitiæ et tum odium ejus quod hunc dolorem excitat, et tertio loco cupiditatem se ab illo liberandi : prout etiam anima non immediatè edocetur de rebus corpori utilibus aliter quam specie quadam titillationis quæ in ea excitans lætitiam deindè producit amorem illius rei quæ ejus causa creditur, et denique id acquirendi quod efficere potest ut in hâc lætitia continuet aut adhuc postea simili fruatur. Unde constat illas omnes quinque utilissimas esse respectu corporis, imo tristitiam quadantenus priorem et magis necessariam esse lætitia, et odium amore quia magis refert refellere quæ nocent et destruere possunt quam ea acquirere quæ aliquam perfectionem addunt, quâ tamen carere possumus (3).

Nullus est passionum effectus, vel longinquissimus, quem ut vitæ conditionem interpretari nequeas. « Cœterum ut suppleam hic paucis omne id quod posset addi circà varios effectus aut diversas causas affectuum, mihi sufficiet repetere principium cui omnia quæ de illis

---

(1) *Ibid.* art. CXXXVII.
(2) Quod Darwin antithesis principium vocat.
(3) *Ibid.* Articulus, CXXXVII.

scripsi innituntur, nimirum nexum inter animam et nostrum corpus esse, ut cum semel junximus quamdam actionem corpoream cuidam cogitationi, neutra earum unquam se postea offerat, quin altera se quoque exhibeat; nec semper easdem esse actiones quæ iisdem cogitationibus junguntur. Id enim sufficit reddendæ rationi omnium eorum quæ unusquisque potest observare specialia vel in se vel in aliis, circà hanc materiam, quæ hic explicata non fuerint. Etenim, exempli gratia, facile est cogitare, miras quorumdam aversiones, per quas nequeunt ferre odorem rosarum, aut præsentiam felis aut similia, non aliunde proficisci quam quod ab initio suæ vitæ, valde fuerint læsi similibus quibusdam objectis, aut quia compassi sunt sensui matrum suarum, quæ gravidæ cùm essent, talibus læsæ fuerunt. Certum enim est relationem dari inter omnes matris motus et motus infantis quem gestat in utero, ita ut quod uni contrarium est alteri etiam noceat. Et odor rosarum potuit infanti magnum capitis dolorem attulisse cùm adhuc in cunis esset, aut felis potuit eum valde perterrefecisse nemine animadvertente ac ipso nullam ejus rei memoriam postea conservante; quamvis idea aversionis quam tum pro illis rosis et pro illo fele conceperat, impressa manserit ejus cerebro usque ad vitæ finem (1).» Hic quasi præsensum principii hujus quod Carolus Darwin *Consuetudinum utilium* esse dicet, reperimus; discrimen tamen quoddam interest. Nempè tempori intra matris uterum exacto, vel primæ infantiæ Cartesius tribuit quod Darwin hæreditate effici existimat.

Jam diximus nobis in animo non esse librum *de Passionibus* enucleare, at duntaxat ex occasione Cartesii methodum psychologiæ adhibitam penitus perspicere. Nec parum decet ostendere quantum congruant de externa perceptione et de passionibus doctrinæ. Quanti momenti sit dolor in rebus percipiendis externis, jam jamexplanatum. Ut impulsioni ceteri sensus, sic ipsa impulsio dolori reducenda. Notabile est a Cartesio, tristitiam atque odium, prout ad vitæ conditiones spectat, passiones amore gaudioque præstantiores haberi. Quid autem sunt mœror et odium nisi doloris effectus? Est igitur dolor vitæ præcipua conditio quippe et externæ perceptiones et passiones ab illo originem sumunt. « Anima non aliter immediate monetur de rebus quæ corpori nocent quam sensu doloris qui producit in ipsa primum passionem

(1) *Ibid.* Articulus CXXXVI.

tristitiæ et tum odium ejus quod hunc dolorem excitat et tertio loco cupiditatem se ab illo liberandi. »

Ergò propterea quod rerum naturam ratione mechanicâ explicat, vitam pessimam esse et è doloris fonte promanantem Cartesius existimare videtur. Attamen neminem fugit Cartesio mundum quam optimum videri. Verum illi placet mundi bonitatem eo constare quod dolor, error atque peccatum sunt quasi libertatis mercedes.

Passio motus est simul et functio : cui studere mechanicorum et physiologorum est. Ne *actionis reflexæ* maturius nomen dicamus, neve omnes illas inventiones, quæ sine Cartesii ingenio nasci nequivissent, ei tribuamus. Si vero *actio reflexa* fieri dicitur quum nervis excitatis musculi contrahuntur, nil dubii est quin passiones præcipuæ quarum functionem Cartesius depinxit *actionibus reflexis* persimiles esse videantur « quia refert repellere quæ nocent et destruere possunt ».

Indè doctrina de passionibus cum ea quæ de perceptionibus externis scripta est novo vinculo annectitur, in hac enim Verum, in illa Bonum cum mechanismo pugnare videtur. Nulla unquam de Ethicâ opera tam audax fuit quam Cartesii *Passiones*. Nunquam vitæ conditiones adeò radicitus illi Boni Ideæ oppositæ, nunquam adeò penitus conciliatæ sunt. Emmanuelis Kant *Critice Judicii* Cartesii operam altitudine æquiparat, sed non superat.

Passiones corpori utiles sunt nec ulla est cujus fama melior fieri nequeat, pœnitentia duntaxat excepta. Turpissimarum functionem quamdam esse invenies. Ergo conscientia bono corporis repugnat. Passionum sanè una est quæ cœteras aut ducere aut compensare potest; nempe generositatem dico. At in generositate Ethicæ fundamentum cernere non licet, quippe et ex hæreditate et ex corporis affectibus non minus quam ex animi dispositionibus procedit. « Quin notandum est, virtutes vulgo dici solitas, esse habitus in anima qui eam ad certas cogitationes disponunt, ità ut sic differant ab illis cogitationibus, ut tamen et eas producere et reciprocè illis produci possint. Observandum quoque, has cogitationes produci posse anima sola, sed sæpe evenire ut insuper aliquis motus spirituum eas confirmet; atque tum simul sunt actiones virtutis et passiones animæ : sic, etsi nulla sit virtus cui magis præclara natalia conferre videantur, quam ea per quam nemo se ultra suum justum valorem existimat; et credibile sit omnes animas quas Deus indit corporibus nostris, non æque nobiles ac fortes esse (quapropter hanc virtutem nominavi *Generositatem* secundum usum nostræ

linguæ gallicæ, potius quam magnanimitatem secundum usum scholæ, in quâ parum cognoscitur); certum est tamen bonam Institutionem multum inservire ad corrigendos natalium defectus (1). »

Quanquam utiles, passiones damno corpori esse possunt. « Quamvis hic usus passionum sit maxime naturalis nec omnia animalia bruta dirigant vitam suam aliter quam per corporeos motus, similes iis qui solent in nobis eas sequi et ad quibus consentiendum nostram animam incitant; non semper tamen bonus est, cùm multa sint corpori noxia quæ nullam ab initio producunt tristitiam, imò quæ aliquam lætitiam præbent; et alia dentur ipsi utilia, quamvis primo obtutu incommoda et tristia sint. Præterea ferè semper ostendunt tam bona quam mala quæ repræsentant multo majora et majoris momenti quam reverà sunt;ità ut nos incitent ad illa quærenda et hæc fugienda majori cum fervore et cura quam par est; prout etiam videmus bestias sæpe decipi per escam, et ad vitanda minora mala præcipites ferri in majora (2). »

Passionibus igitur parere felicitatis adipiscendæ via esse non potest. Attamen passionem cum vitio permiscere desipientis est. Hoc ab illa, quum de ingrato animo loquitur, diligenter secernit. Commotionibus etiam internis animæ, si exempli in articulo CXLVII enarrati reminisceris, passionem, quæ è spiritibus procedit animalibus, anteponere videtur. Præterea passio quæcumque libertati adversa est; nec alia est, respectu voluntatis liberæ ac perceptio externa respectu certitudinis (3). Quod si meministi apud tractatum *De homine* Cartesii perceptionem quamcumque sensuum tanquam errorem existimantis nec, apud *Meditationes de prima philosophia* peccatum ab errore secernentis, docebere quantum ejus Ethica isti psychologiæ congruat.

Ut errorem, qui è perceptione sensibili, magis quam ex aliâ quacumque causâ, promanat, sic passionem voluntas libera corrigit. Duæ sunt rationes quibus imaginis sensibilis errores voluntas libera corrigit : nempè dubitatio atque distinctio innatarum idearum ab adventitiis. Ut passionis errores corrigat voluntas libera, ceteris passionibus passionem opponet dociliorem, generositatem scilicet, tum omnibus affectibus opponet dubitationem quamdam quæ practica dici potest.

(1) *Ibid.* Articulus CLXI.
(2) *Ibid.* Articulus CXXXVIII.
(3) Cf. G. Séailles, *Quid de Ethicâ Cartesius senserit*, p. 24 et sq., p. 68 et sq.

Etsi maximo cum errore apud glandulam animum agere dicit Cartesius, tamen quærere licet quomodo aliam passionem alii opponere queat liberum arbitrium si passiones necessario gignuntur quum motus quantitas rata organis affertur. Verum, si quod Cartesius scripsit, diligenter legimus, animadvertimus ejus judicio liberi arbitrii passionem quamdam fieri posse, nempe generositatem. « Certum est bonam institutionem multum inservire ad corrigendos natalium defectus; et eum qui sæpè se occuparit in attenta consideratione liberi arbitrii, et quantum emo lumenti situm sit in firmo proposito eo bene utendi, et ab alia parte quam vanæ et inutiles sint omnes curæ quæ ambitiosos excruciant, posse *excitare in se passionem* et exindè acquirere virtutem generositatis; quæ cum sit quasi clavis omnium aliarum virtutum et remedium generale omnibus affectuum vitiis, videtur hæc consideratio esse digna quæ observetur (1). » Porrò è Cartesii ipsis verbis didicimus libertatis amorem apud nos nasci è consideratione commodorum quæ libertati annectuntur. Ergo è necessitatis dominio non egredimur.

Remediorum alterum latius patet nec erramus quum illud dicimus dubitationis methodicæ esse simillimum. « Sed quoniam inter illa remedia (adversus passiones) posui præmeditationem et industriam quâ quis corrigere possit defectus suæ indolis sese exercendo in separandis motibus sanguinis et spirituum in se à cogitationibus quibus jungi solent; fateor paucos dari qui se satis præparaverint eo modo adversus omnes impetus, et hos motus in sanguine excitatos ab objectis affectuum, sequi tam promptè è solis impressionibus quæ in cerebro fiunt, et dispositione organorum, etsi eò anima nihil planè conferat, ut nulla sit sapientia humana quæ possit illis resistere, cum quis non satis se ad id paraverit. Ità plures nequeunt se à risu continere cum titillantur, etsi titillatione non delectentur. Nam impressio lætitiæ et subitaneæ occupationis quæ aliàs illis risum movit eamdem ob causam, ressuscitata in eorum phantasia efficit ut ipsorum pulmo quantumvis invitis infletur subito sanguine quem ad eum cor mittit. Sic qui natura suâ valde propendeat ad commotiones lætitiæ aut commiserationis aut terroris aut iræ, abstinere vix possunt à deliquio animi aut lacrymis, aut tremore aut commotione sanguinis, ac si febri laborarent, cùm eorum phantasia vehementer pulsatur ab objecto alicujus ex his passionibus.

(1) *Ibid.* Articulus CLXI.

Sed quod eo casu semper fieri potest, quodque putem hic posse poni ut remedium generalius et observatu facilius contra omnes excessus affectuum est, quod ubi sentietur ea sanguinis commotio præmoneri et meminisse oporteat, omnia quæ se imaginationi offerunt, non alio spectare quam ad animam decipiendam eique repræsentandum rationes, quæ inserviunt commendando objecto passionis suæ, tanquam longe firmiores quam revera sint et è contrario debiliores quæ eidem improbando serviunt. Et *cum Passio non nisi talia persuadet quorum executio aliquam dilationem patitur, abstinendum à ferendo de illis extemplo judicio; et alio avertendæ sunt cogitationes donec tempus et quies plane sedaverunt commotionem quæ est in sanguine.* » (1).

Quod si reminisceris non posse intelligi mechanismum nisi inhibeantur judicia quæ è perceptionibus sensibilibus sumamus, intelliges qualis sit natura hujus moralis libertatis quæ passionibus opponenda sit. Nihil est nisi legum mechanicarum orbis universi intelligentia. Planius distinguere, ut veteres stoïci, res quæ nostræ a rebus quæ non nostræ sunt, id est liber esse. Libertas una et eadem est ac certitudo.

Serius hæc reperiemus. Nunc ultima quæstio explananda est : nonne mentis ipsius cogitationes ab organorum dispositione pendent ?

(1) *Passiones*, articulus CCXII.

Caput IV

DE SOMNIIS, MEMORIA, ATQUE IMAGINATIONE

« Deduco rationes horum omnium ex iis quæ superius dicta sunt, nempè dari talem nexum inter animam et corpus ut ubi semel junximus aliquam actionem corpoream alicui cogitationi, altera deinceps se nobis non offerat quin alia se pariter exhibeat. Ut videmus in iis qui ægri pharmacum aliquod hauserunt magnâ cum aversione eos non posse quippiam postea vel bibere vel ederè ejusdem ferè saporis, quin rursus eandem habeant aversionem : nec similiter posse cogitare de aversione haberi solita circa pharmaca quin idem sapor ipsis in mentem redeat (1). » His lineis, in quibus adeò clare legitur mutuam esse relationem inter organorum motus et mentis cogitationes transitus datur è passionibus ad idearum doctrinam. Compertum ergò habemus ideas ut affectus, ut perceptiones Cartesio organis determinatas videri. In tractatu *De homine*, Cartesius non aliter de imaginatione vel de memoriâ ac de somno somniisque tractandum esse profitetur. Idea vigilantis ab idea somniantis vel dormientis non discrepare existimat nisi hæc illa multo vividior sit. « Somnia neutiquam differunt ab illis ideis quas suprâ dixi sæpe formari in eorum imaginatione qui vigilantes sibi somnia fingunt, nisi quod imagines quæ somniando formantur, longe distinctiores et vividiores esse queunt iis quæ à vigilantibus efformantur (2). » Harum differentiarum notabile exemplum dat Cartesius. « Hæc eadem ratio quoque demonstrat si forte cujusdam objecti actio, quæ moveat sensum usque ad dormientis cerebrum transeat, non fore illico ut hæc eandem ideam formet quam vigilans excitaret : sed longe

(1) *Passiones*, Articulus CVII.

(1) Schuyl, *De homine*, 35.— Ed. Cousin, vol. IV, p. 423.

insigniorem, magis admirandam et quæ sensus vehementius afficeret. Uti quum dormientes, à culice compuncti somniamus nos gladio perfodi : si minus simus cooperti, planè nudos nos esse imaginamur : si vero stragulis paululum aggrevemur montibus nos obrui putamus (1).» Ergò si comperimus, judicio Cartesii, quamdam esse et corpoream et mechanicam somni somniorumquæ determinationem, facilè concludimus imaginationem atque memoriam non aliter haberi ac perceptiones sensibiles atque passiones.

Porrò somnum à cerebri modis pendere clarissime Cartesius profitetur. Somnus cerebri nutricatui respondet. « Cæterum durante somno substantia cerebri requiescens otium habet ad sese nutriandam et reficiendam : irrigata quippe sanguine contento in venulis et arteriolis in externa ejus superficie apparentibus. Adeoque paulo post poris ejus magis obturatis, spiritus tantà vi non indigeant quantà prius ad universum cerebri fornicem expandendum et sustinendum. Planè, quemadmodum ventus tam vehemens non requiritur, quo madida navigii vela turgeant, quàm quo sicca, spiritibus verò corroboratis, quia sanguis eos producens in cor multoties eundo et redeundo defæcatior jam est : omninò sequitur machinam nostram postquàm diu satis dormivit, suâ sponte naturaliter expergefieri, quemadmodum et vice versa iterum somno sese traditura est, postquam diu satis vigilaverit; quandoquidem durante vigilia, cerebri substantia continuis spirituum actionibus sensim siccior evasit, porique latiores : adeòque tum comedens (uti fit, si cibum reperiat, fame ipsum stimulante), cibi succus sive chilus, sanguini ejus sese immiscens, ipsum crassiorem reddit (2). »

Adde somnum ac vigiliam esse, ut ità dicam, quantitates; quippe majori sanguinis jejunio longior somnus respondet. « Non hic dicam... quomodo nimia sanguinis profusio, nimium jejunium, largior copia Bacchi, similesque alii excessus et ejusmodi quæcunque natura secundum temperamentorum diversitatem spirituum vim augentia, vel diminuentia, nimias vigilias vel etiam nimium somnum inducere possint » (3). Qui sæpius vigilat, ejus cerebrum atrophia vexatur; qui diutius dormit,

(1) *Id., ibid.*— Ed. Cousin, vol. IV, p. 423.

(2) Ed. Cousin, vol. IV, p. 424.

(3) Schuyl, *De homine*, 35.— Ed. Cousin, vol. IV, p. 425.

is dementia et stultitia laborat, scilicet ejus cerebrum nimio sanguine jactatur.

Denique non variat somnus quin idcircò phœnomena fiant quæ organorum motibus determinari jam scimus. « Non hic dicam quomodò strepitus, dolor, aliæque actiones quæ interiores cerebri partes interventu organorum sensuum illius commovent, nec non lætitia et ira, similesque aliæ passiones, quibus spiritus concitantur, et exsiccatio itidem aeris qua sanguis illius subtilior redditur, similiaque alia somnum impedire queant, neque verò etiam, quomodò silentium tristitia, humiditas aëris contra eundem invitent (1). »

E somno facilis transitus ad somnia : quæ quidem mechanica sola explicare valet. « Objectorum externorum actiones maximum partem impediuntur, ne in cerebrum transeant, ut ubi sentiantur : atque spiritibus itidem in cerebro contentis exitus ad membra exteriora, quibus hæc commoveantur, præcluditur (2). » « Quantum ad somnia attinet, illa dependent partim ab inæqualitate virtutis quâ constare possunt spiritus egredientes ex glandula, partim verò ab impressionibus memoriæ occurentibus (3). »

Somniisne memoria atque imaginatio similes dici possunt? Si res ità sunt, ideæ quibus constant à cerebri machinâ pendent. Porrò apud Cartesium, quanquam verbis paululum obscuris iidem memoriæ ac noctisurgii effectûs esse dicuntur. « Effectus vero memoriæ cujus examen hic majoris utilitatis est, in eo consistit, quod hæc machina nullâ licet animâ illi inexistente nihilominus disponi naturaliter possit, ut verorum hominum aut aliorum quoque rerum similium quæ præsentes illi adsunt motus imitari possit » (4). Ergò in memoria motuum quorundam causa reperitur; ipsa igitur è spirituum animalium actione procedit.

Quod ad imaginationem attinet, quamvis nihil obscurius in totâ Cartesii philosophiâ inveniatur, non dubitare potes quin id intelligas, si prius didiceris imaginationis ideas ejusdem naturæ ac somnia existimari. De hâc quæstione librorum *De homine* ac *De passionibus* alius alium explanat.

(1) Id., *ibid.*, 35. — Ed. Cousin, vol. IV, p. 425.
(2) Id., *ibid.*, 34.— Ed. Cousin, vol. IV, p. 422.
(3) Id., *ibid.*, 35. — Ed. Cousin, *ibid.*
(4) Schuyl, *De homine*, 31.— Ed. Cousin. vol. IV, p. 408.

Legimus apud tractatum *De homine*, imaginationem nihil aliud esse ac somnium durante vigilia somniatum. « Si peculiaris cujusdam objecti figura distinctius quam ulla alia, cerebri parti impressa sit, ad quam glandula accuratè propendeat, spiritus quoque eò tendentes impressionem non possunt non recipere et hàc ratione res præteritæ quandoque merè fortuitò in cogitationem redeunt licet memoria nullo objecto quod sensus feriat admodum excitetur. Si verò, quod sæpe contingit, plures atque diversæ figuræ eidem cerebri parti fere æque perfecte impressæ reperiantur, spiritus aliquid ex unius cujusque impressione recipient plus minusve quatenus eorum particulæ diversimodè in eas incurrunt. *Atque hoc modo Chimeræ et hippogryphi in eorum componuntur imaginatione qui vigilando somniant, hoc est qui phantasiam suam, nullis objectis externis ab illis nugis avocant nullare ratione gubernant, sed laxatis habenis illi per socordiam vagari permittunt* (1). »

Contra, in tractatu *De Passionibus* duas imaginationis species Cartesius esse profitetur quarum alia animo, alia corpore formatur; hæc duntaxat somnio similis esse dicitur. « Inter perceptiones quæ corporis operâ producuntur maxima pars earum pendet a nervis; sed quædam etiam sunt quæ ab illis non pendent et quæ nominantur Imaginationes, ut illæ de quibus modo locutus sum; à quibus tamen differunt in eo quod volontas nostra in illis formandis non occupetur; unde non possunt reponi in numero actionum animæ : nec aliundè procedunt quam ex eo quod spiritus diversimodè agitati, et reperientes vestigia diversarum impressionum quæ præcesserunt in cerebro cursum eò dirigunt fortuitò per quosdam poros potius quam per alios. Tales sunt illusiones nostrorum somniorum et phantasiæ quæ nobis vigilantibus accidunt, cum cogitatio nostra negligenter vagatur, nulli rei sese addicens. Etsi autem quædam harum imaginationum sint passiones sive affectus animæ, sumpto illo vocabulo in magis propria et specialore significatione, et possint ità omnes nominari, si in significatu generaliori idem nomen assumatur : attamen quia non habent causam tam notabilem et tam determinatam ac perceptiones quas anima recipit operâ nervorum, et quia videntur earum tantum esse umbra et pictura : antequam possimus eas commodè distinguere, consideranda est quæ inter alias intercedit differentia (2). etc.»

---

(1) *Id. Ibid.*, 31.— Ed. Cousin, vol. IV, p. 407-408.
(2) *Passiones*, articulus XXI.

Sed notandum est, à Cartesio quum imaginationen animo formatam describit, eadem dari exempla quibus in *Tractatu de Homine* inter imaginationem et somnium similitudo quædam probabatur. « Cùm anima nostra sese applicat ad imaginandum aliquid quod non est, v. g in concipienda Basilica quâdam magicâ aut chimærâ, vel etiam cum sese applicat in consideratione alicujus rei quæ solummodo intelligibilis est, non verò imaginabilis, exempli gratia in consideranda sua ipsius natura, perceptiones quas habet illarum rerum pendent præcipuè à voluntate; quæ efficit ut eas percipiat; ideòque solent potius considerari ut actiones quam ut passiones » (1).

In opera quæ ante *Tractatum de homine* anteque *Passiones* scripta fuerat, Cartesio doctrina audacior placuerat; apud quam quidem intima ejus cogitatio, non de imaginationis solum sed etiam de totius cogitationis naturâ, fortassè requirenda est. De *Regulis ad directionem ingenii* loquimur. In quibus Imaginatio nihil aliud ac corporis vera pars habetur; attamen altissimis mentis functionibus fungi dicitur. Hâc doctrinâ, quam apud commentarios Regularum XII et XIV expositam leges, nulla certè apud totam Cartesii psychologiam notabilior invenitur.

Quatuor duntaxat facultatum auxilio cognoscere possumus : intellectûs videlicet atque imaginationis, necnon sensûs et memoriæ.

Verum vis illa « per quam res propriè cognoscimus concipiendum est esse pure spiritualem, atque à toto corpore non minus distinctam quam sit sanguis ab osse, vel manus ab oculo, unicamque esse, quæ vel accipit figuras à sensu communi simul cum phantasiâ, vel ad illas quæ in memoria servantur, se applicat, vel novas format à quibus imaginatio ita occupatur, ut sæpè simul non sufficiat ad ideas à sensu communi accipiendas, vel ad easdem ad vim motricem juxtà pari corporis dispensatione transferendas. In quibus omnibus *hæc vis cognoscens interdum patitur, interdum agit* et modo sigillum modo ceram imitatur; quod tamen per analogiam tantum hic est sumendum; neque enim in rebus corporeis aliquid omninò huic simile invenitur; atque una et eadem est vis quæ, si applicat se cum applicatione ad sensum communem, dicitur videre, tangere, et, si ad imaginationem solam ut diversis figuris indictam, dicitur reminisci; si ad eamdem ut novas fingat, dicitur imaginari vel concipere; si denique, sola agat, dicitur

---

(1) *Passiones*, art. XXX.

intelligere; quod ultimum quomodò fiat, fusius exponam suo loco. Et eadem etiam idcircò juxtà has functiones diversas vocatur vel *intellectus purus*, vel *imaginatio*, vel *memoria*, vel *sensus*; propriè autem *ingenium* appellatur, quum modo ideas in phantasia novas format, modo jam factis incumbit, consideramusque illam ut diversis istis operationibus aptam, atque horum nominum distinctio erit in sequentibus observanda (1). »

« Nam quum intellectus moveri possit imaginatione vel contra agere in illam, item imaginatio possit agere in sensus per vim motricem illos applicando ad objecta, vel contra ipsi in illam, in qua scilicet corporum imagines depingunt; memoria verò illa, saltem quæ corporea est et similis recordationi brutorum, nihil sit ab imaginatione distinctum, certo concluditur, si intellectus de illis agat, in quibus nihil sit corporeum, vel corporeo simile; illum non posse istis facultatibus adjuvari; sed contra ne iisdem impediatur, esse arcendos sensus atque imaginationem, quantum fieri poterit, omni impressione distincta exuendam. Si vero intellectus examinandum aliquid sibi proponat, quod referri possit ad corpus, ejus idea, quam distinctissimè poterit, in imaginatione est formanda (2). »

Ex his locis duæ præcipuæ promanant consequentiæ; quarum altera est, imaginationem, totam corpoream, linguâ recentiorum *cerebri functionem* dici posse; altera est imaginationem non esse aliam ac corpoream vel brutorum memoriam.

At forsitan aliquis dicet hanc doctrinam à Cartesio fuisse expositam quum nondum meditationes metaphysicas scripsisset necdum anatomiæ adeò studuisset ut et tractatum *De homine* et præsertim *Passiones* condere posset; ità ut si in hoc libro corporea ab incorporeâ distinguatur imaginatio, fatendum sit talem esse Cartesii veram atque ultimam sententiam.

Taliter objecta refellere admodum facile est. Constat Cartesii philosophiam uno tenore fuisse formatam, diversosque illius libros esse tanquam unius operæ capita. Cartesii placita semel duntaxat variaverunt, magis specie quam re, nempè de Terræ circum solem motu. Aliundè compertum habent omnes historici et ut ità dicam, philologi

(1) Regulæ ad directionem ingenii XII.
(2) *Ibid.*

1° apud dissertationem de Methodo cartesianæ sententiæ quasi formulam certam inveniri; 2° hujus dissertationis secundam partem nihil aliud esse ac Regularum ad directionem ingenii epitomem. Licet ergo ex his regulis meram Cartesii de cognitione doctrinam quærere.

Itaque distinctio inter corpoream et incorpoream imaginationem parvi nobis momenti esse videtur. Nobis comprobatum habebitur imaginationem nihil esse Cartesii sententia nisi cerebri functionem.

Nunc igitur quæramus qualis sit imaginationis idearum vera natura, et qualis sit earum functio (nec omittamus imaginationem à memoria non esse distinguendam).

Primo memorandum est, Cartesii sententiâ, duabus tantum mentis rationibus nos ad verum duci posse: nempe intuitu et deductione. Quod si quærimus qualia sint propriè deductionis et genus et munus, quænam sit ejus cum intuitu relatio, tum discimus quanta sit pars imaginationis atque memoriæ in cognitione necnon qualis sit idearum quas fingant natura.

« Ut autem imaginationis utamur adjumento, notandum est, quoties unum quid ignotum ex aliquo alio jam ante cognito deducitur, non idcircò novum aliquod genus entis inveniri, sed tantum extendi totam hanc cognitionem ad hoc, ut percipiamus rem quæsitam participare hoc vel illo modo naturam eorum quæ in propositione data sunt. » — « Ut sæpè jam monuimus, syllogismorum formæ nihil juvant ad rerum veritatem percipiendam, proderit lectori si illis planè rejectis, concipiat omnem omninò cognitionem, quæ non habetur per simplicem et purum unius rei solitariæ intuitum, haberi per comparationem duorum aut plurium inter se. Et quidem tota fere rationis humanæ industria in hâc operatione præparanda consistit; quandò enim aperta est et simplex, nullo artis adjumento, sed solius naturæ lumine est opus ad veritatem, quæ per illam habetur, intuendam. Notandumque est comparationes diù tantum simplices et apertas, quoties quæsitum et datum æqualiter participant quamdam naturam, cæteras autem omnes non aliam ob causam præparatione indigere quam quia natura illa communis non æqualiter est in utrâque, sed secundum alias quasdam habitudines sive proportiones in quibus involvitur, et præcipuam partem humanæ industriæ non in alio collocari quam in proportionibus istis eò reducendis, ut æqualitas inter quæsitum et aliquid quod sit cognitum clarè videatur » (1).

(1) Regulæ ad directionem ingenii, XIV.

« Notandum est denique nihil ad istam æqualitatem reduci posse, nisi quod recipit majus et minus, atque illud omne per magnitudinis vocabulum comprehendi adeò ut postquam juxtà regulam præcedentem difficultates termini ab omni subjecto abstracti sunt, hic tantum deinceps circà magnitudines in genere intelligamus nos versari. Ut verò aliquid etiam tum imaginemur nec intellectu puro utamur, sed speciebus in phantasia depictis adjuto, notandum est denique nihil dici de magnitudinibus in genere quod non etiam ad quamlibet in specie possit referri. »

« E quibus facilè concluditur non parum profuturum, si transferamus illa, quæ de magnitudinibus in genere dici intelligemus, ad illam magnitudinis speciem, quæ omnium facillime et distinctissime in imaginatione nostra pingetur. Hanc verò esse extensionem realem corporis abstractam ab omni alio, quam quod sit figurata, sequitur è dictis ad regulam duodecimam, ubi *phantasiam ipsam cum ideis in illa existentibus nihil aliud esse concepimus, quam verum corpus reale extensum et figuratum;* quod per se etiam est evidens, quum in nullo alio subjecto distinctius omnes proportionum differentiæ exibeantur; quamvis enim una res dici possit magis vel minus alba quam altera, item unus sonus magis vel minus acutus et sic de cæteris, non tamen exactè definire possumus utrum talis excessus consistat in proportione dupla, vel tripla, etc., nisi per analogiam quamdam ad extensionem corporis figurati. Maneat ergo ratum et fixum quæstiones perfecte determinatas vix ullam difficultatem continere præter illam quæ consistit in proportionibus inæqualitatis evolvendis; atque illud omne, in quo præcisè talis difficultas invenitur, facile posse et debere ab omni alio subjecto separari, ac deinde transferri ad extensionem et figuras (1). »

Uno verbo, imaginationis solius gratià figurarum notiones adipisci possumus; porrò, figuris duntaxat, rerum quarumcunque ideæ formari possunt. Ergò imaginatio, quæ nihil aliud est ac cerebri functio, in formanda cognitione partes præcipuas agit. Ut geometriæ figuræ respectu proportionis abstractæ, ita imaginatio est respectu puri intellectus. Propterea quod figuræ quas percipit imaginatio proportionibus iis respondent quas intuetur intellectus, imaginatio cum intellectu congruere demonstratur. Quod si reminiscere imaginationem duntaxat esse cerebri

(1) Regulæ ad directionem ingenii, XIV.

functionem, non errabis si dicas illius gratià congruere mentem cum natura rerum. Quum Cartesio tanquam psychologo studes, ne te fugiat ab illo novam conditam fuisse geometriam.

Notandumne est hanc de imaginatione atque de cognitione doctrinam comparatione ceræ et sigilli totam fulciri? Indè quæstio ista nascitur : quomodò rem extensam quæ extra nos est percipimus? Foris nullam Cartesius impressionum causam invenit præter motum quem testatur vel tractus vel impulsus. Quomodò in tactus perceptionem impulsus perceptio verti potest?

Cartesio sanè respondere non difficile visum fuisset. Motus quidem externus spatium in se continet; spatii autem vel rei extensæ innata quædam notitia nobis inest; quam quidem impulsus et sensus qui exindè nascitur ac denique imaginationis repræsentatio quâdam occasione exhibent. Quasi ex imo intellectu innatam spatii ideam acciunt perceptio atque imaginatio. In figurâ quam concipit imaginatio congruunt quod internum et quod externum est, necnon sensus atque intellectus, mens atque natura rerum.

Duobus postulatis nititur psychologia Cartesii : nempè motum asserit esse realem, reique extensæ ideam nobis esse innatam : quorum postulatorum sine priori nulla certe scientia esse potest : de posteriori, videamus.

Hæc considerantis subit extemplò mentem nomen Emmanuelis Kant. Apud istam de Imaginatione doctrinam invenies quasi inchoatas præcipuas *critices puræ rationis* partes, illas videlicet quas Kant germanicè inscripsit « *transcendantale Æsthetik* » et « *Schematismus des reinen Verstandes* » : quibus quidem quasi proœmium subtilissimis recentissimorum psychologorum disquisitionibus datur.

Si Cartesio licuisset nervorum naturam et functiones penitus cognoscere, comparationem istam sigilli et notæ missam fecisset; quæ enim sejungi non potest à spirituum animalium hypothesi, per quam nimis citò physiologiam mechanica invadit. Non illum fefellisset quanta abyssus, ut humano ingenio, nervorum vibrationem à sensu, sensumque qui sine quantitate est ab extensæ rei notitia separat. Novæ quæstiones ejus menti sese obtulissent : forsan, nedum rem extensam tanquam substantiam haberet, illam censuisset nihil aliud esse atque utile symbolum quod ad suum commodum inscia creat mens humana.

At Cartesio simul placebat et mundum legibus regi mechanicis et animum humanum materià expertem esse : dempto animo incorporeo,

negabat rationem rerum mechanicam intelligi posse. Nullum philosophum invenias cui plus quam Cartesio mens nostra creatrix esse videretur : verum enimverò profitebatur ideas quasdam proportionis atque spatii, quæ motui externo atque reali, sibi semper quantitate æquali responderent esse quod mens duntaxat creare posset. Quare psychologia Cartesii duos adspectus ostendit; quippe quæ simul et cum mechanicâ et cum spiritali metaphysicâ congruat; sed quia illum adspectum multi omiserunt, nobis præsertim oculis exhibendus esse videtur.

Caput V

QUATENUS PSYCHOLOGIA CARTESII CUM SCIENTIA MECHANICA CONGRUAT.

Principium unum hanc psychologiam animat; quod nil aliud est ac scientiæ mechanicæ ipsius principium ; quod vocatur « principium minimæ actionis. » Omnia fiunt in orbe legibus simplicissimis et maxime generalibus : idcircò scimus a priori orbem intelligi posse, ejusque leges describere possumus.

Non dubitat Cartesius quin *Tractatum de homine* principium minimæ actionis enucleando concludat. « Quoad cetera verò quæ supposui et quæ in sensus non incurrunt, illa omnia tam simplicia sunt et communia, imò et tam exiguo numero ut, si comparentur cum diversa compositione miroque artificio, quod in stupenda structura eorum organorum quæ videmus, admiramur, probabilius pene videbitur me plura omisisse eorum quæ nobis insunt quam quædam supposuisse quæ nobis non insunt ; *et verò cum longè notissimum sit naturam semper uti mediis omnium facillimis et simplicissimis*, existimamus fieri non posse ut reponantur similiora iis quibus ipsa utitur, quam ea quæ recensuimus (1). » Passiones, scilicet affectus, perceptiones, denique recordationes iisdem quam organa legibus reguntur : quæ quidem à mechanicis legibus non discrepant. Nec animal tantum automaton haberi potest, sed homo etiam, dummodo sub quodam angulo adspicitur. Ut hominem recentiores vel officinæ vel molæ comparant, sic Cartesius pneumatico organo. « Si te fortè incessit curiositas pneumatica templorum organa accuratius introspiciendi, videre tibi contigit, qui folles aëra in quædam venti receptacula cogant ; quæ uti mihi persuadeo arcæ venti meritò voci-

(1) Schuyl, *De homine*, 36. — Cf. V. Cousin Ed., vol. IV. p. 427.

tantur : et quomodò aer ex illis suis carceribus in diversos canales modo hos, modo illos erumpat, prout organista digitis suis pulsat organi claves sive manubria epistomiorum. At hic, si libet, concipe cor et arterias quæ spiritus animales in concavitates cerebri nostræ machinæ compellunt, esse velut organi folles, qui aerem in ipsa venti receptacula impellunt. Objecta vero externa, quæ quatenus nervos movent, efficiunt ut spiritus illa.. am concavitatum intrent in quorumdam eorum nervorum poros, non insubidè comparaveris organistæ digitis, qui secundum diversos motus, quibus claves deprimant, faciunt, ut aër ex venti receptaculis in certos quosdam tubos erumpat. Quemadmodum vero harmonia organorum non dependet ab illa tuborum quibus excitatur dispositione, quæ extrinsecus apparet : neque etiam è figurâ receptaculorum venti aliarumve partium : sed tantummodo è tribus causis. Nimirum ex aere, qui è follibus spiratur, è tubis qui sonum edunt atque è distributione illius aeris in illos tubos. Similiter functiones de quibus hic sermo, nullatenus ab exteriori omnium partium visibilium figurâ, quas anatomici in cerebri substantia distinguunt ; neque etiam è figura concavitatum ejusdem sed tantummodo è spiritibus qui ex corde profluunt, è poris cerebri per quos transeunt et à modo secundum quem spiritus illi in poros distribuuntur. Ut tantum necesse sit explicare quicquid hisce tribus maxime notatu dignum occurrit. (1). »

Quum taliter et vitam et vitæ cum conscientia relationem conciperet radicitus Aristotelis placitis de anima vegetativa ac sensitiva, quæ adhuc vigebant, repugnabat. Notandum hic doctrinam aristotelicam ad scientiam animi cum physiologiam conciliandam mutuamque conscientiæ cum vitæ fonctionibus relationem explicandam, valdè aptam potuisse videri : quippe simul metaphysicorum desideriis satisfaciebat nec tamen scientiam empiricam nimis offendebat. Verùm ita scientiam Cartesius concipiebat ut ei humilis atque parvi momenti scientia empirica videretur. Adde altius scientiæ cum metaphysica congruentiam à Cartesio quæsitam, scilicet è divinæ perfectionis notitiâ, cujus fundamento fulsit rationem orbis universius mechanicam.

Quare summo studio ostendit Cartesius, machinâ hominis ita conceptâ, prorsus pelli e medio vel vegetativæ vel sensitivæ animæ hypothesin. « Postremò velim consideres omnes functiones quas huic

(1) *De homine*, 21 et 25.— Ed. Cousin, vol. IV. p. 383.

machinæ adscripsi, cibi videlicet concoctionem, cordis arteriarumque pulsum, membrorum nutritionem augmentationemque, respirationem, vigiliam et somnium, luminis receptionem, sonorum, odorum, gustûs, caloris, aliarumque similium qualitatum in organis externorum sensuum : sed et impressionem idearum ab ipsis efformatarum in organo sensus communis : tum conservationem illarum idearum in memoriâ : internos prætcrea motus appetitûs atque passionum : denique motûs externos membrorum omnium qui tantâ harmoniâ sequuntur, tam objecta sese sensibus offerentia, quam passiones et impressionem in memoriâ invicem occurrentes, quas tam accuratè quam fieri potest imitantur. Ut hæ, inquam, functiones, in machina nostra hæc communia naturaliter sequantur per solam Organorum suorum dispositionem, omninò quemadmodum motus horologii aliusve istiusmodi automati per dispositionem appensorum ponderum et rotularum. Ut propter illos videlicet motus *necesse non sit concipere aliam quandam animam, sive vegetativam sive sensitivam, aliudve motus vitæque principium, quàm sanguinem illius et spiritus agitatos : nimirum calore ignis qui in corde illius jugiter ardescit. Cui sane igni alia non est natura quam cœteris omnibus, qui corporibus inanimatis inesse deprehenduntur* » (1).

Hoc tanti momenti Cartesio esse videtur ut non dubitet quin à discipulis dissideat qui aristotelicas hypotheses exsuscitant. Professus erat Regius juxtà mentem esse quamdam vim vegetativam necnon quamdam vim motricem animalium. Cartesius talem doctrinam hæreticam existimans addit eam, religione omissa, rationi ipsi repugnare. « Contra logicam etiam est animam concipere tanquam genus, cujus species sint *mens*, vis *vegetativa*, et *vis motrix animalium*. Per animam etiam sensitivam non aliud debes intelligere præter vim motricem, nisi illam cum rationali confundas. Hæc autem vis motrix, à vi vegetativa, ne specie quidem differt; utraque autem toto genere à mente distat. Sed quia in re non dissentimus, ego rem ita explicarem : anima in homine unica est, nempe rationalis ; neque enim actiones ullæ humanæ censendæ sunt nisi quæ à ratione dependent, vis autem vegetandi et corporis movendi, quæ in plantis et brutis anima vegetativa et sensitiva appellantur, sunt quidem in homine, sed non debent in eo animæ appellari, quia non sunt primum ejus actionum principium et toto genere differunt ab ani-

(1) Schuyl, *De homine*, 36.—Cf. V. Cousin, Ed. vol. IV, pp. 427-428.

ma rationali. Vis autem vegetativa in homine nihil aliud est quam certa partium corporis constitutio » (1).

Neminem fugit hypothesin de spiritibus animalibus esse, ut ad anatomiam et physiologiam spectatur, quod in Cartesii philosophiâ imbecillimum est; sed consideranti hanc hypothesin, è principio minimæ actionis promanare patet. Legimus enim apud tractatum de *fœti formatione* calorem, qui in corde fervet, esse machinæ humanæ quasi vim et momentum, sanguineque ad cor venis tanquam tubulis adducto calorem ali, dum arteriis calefactus in corde et rarefactus cruor, ad quascumque corporis partes fertur, calorem impertiens et materiam unde alantur; denique vividissimis sanguinis partibus ad cerebrum iis arteriis ductis qui è corde lineâ quam rectissima veniunt, subtilissimam auram componi, quam spiritus animales vocare licet, quibus quidem cerebrum dilatatum aptum fieri impressionibus et rerum externarum et animi vel sedis organique sensus communis, imaginationis ac memoriæ recipiendis; tum membra moveri iisdem spiritibus animalibus postquam è cerebro defluxerunt nervosque ut organa sensibus externis disposuerunt, necnon musculos conflarunt (2).

Doctrina igitur de spiritibus animalibus, quæ psychologiæ totius cartesianæ quasi anima est, oritur tum è cognitione circulationis sanguinis tum ex ejus interpretatione mechanicâ. Non minus Hervœi quam Galilœi inventio cartesianam cogitationem moverat; utramque mathematicæ universali adnectere, mathematicamque fundamento adeo solido insternere ut scepticorum cavillationes prorsus refellerentur, tale fuerat Cartesii consilium; quapropter et vortices in cœlo et spiritus animales in machinâ viva esse professus est. Vorticum hypothesis præstantibus astronomis ut viro Faye meliori fama digna visa est et Laplace hypothesi potior; spiritus animales contemptu recentiorum vindicare æquum atque opportunum videtur.

Plurimis locis scripsit Cartesius cor nil aliud esse atque caloris focum. Porrò calorem tanquam motum particularum intestinum habet. Nulla mora fuit quin deductio huc usque duceretur quo serius experientia viros Rumford et Joule ductura esset (3). Quandoquidem

(1) Vide Garnier, § III, epist. XXXII, pp. 389-392.
(2) Vide *De fœti formatione*, VII.— Ed. Cousin, vol. IV, p. 435-436.
(3) *Principiorum philosophiæ* pars IV, XXIX.

calor sit motus, sanguinis circulatio mechanicâ ratione explicatur si illius causam calorem esse patet. Ciborum ipsa concoctio Cartesio non fieri posse videtur, quin calor fiat. « Cibus igitur in hujus machinæ stomacho concoquitur vi quorundam liquorum, qui in cibi poros illabentes ipsum separant, agitant, et tandem calefaciunt : haud secus quam vulgaris aqua in calcem vivam aut aqua fortis in metallo solet agere. Quin etiam liquores isti, à corde per arterias admodum concitate deducti, ut post constabit, non possunt non esse valdè calidi. Imò cibus ipse ut plurimum ejus est natura, ut vel suâ sponte citrà ullam alterius rei mixturam corrumpi atque calefieri possit, fere ut fœnum recens, quod minus exsiccatum in horreum conditur. Notandum insuper motum quem incalescentes illæ cibi particulæ recipiunt, nec non agitationem stomachi et instestinorum, quibus eædem continentur, atque dispositionem tenuium filamentorum, è quibus instestina contexuntur, hoc præstare ut absolutâ concoctione statim ad illum ductum, quem natura crassioribus cibi partibus excernendis destinavit paulatim descendant; ac interea subtiliores et magis agitatæ infinitos exiguos poros circumquaque offendant; per quos fluant in ramusculos magnæ venæ, quà deferentur in hepar (1). »

Cor nil aliud habetur ac focus ignis cujusdam sine lumine, non dissimilis ut ait Cartesius, ab eo qui fœnum congestum antequam siccum sit calefacit, aut qui vina recentia ab acinis nondum separata fervere facit. Nullâ causâ nisi isto calore sanguis dilatatur (2). Simul ac duæ sanguinis guttæ in cor sunt ingressæ, statim rarefiunt et dilatantur, propter calorem quem illic inveniunt. Talis explicatio demonstratione mathematica extemplò confirmatur.

Sed de his jam antea dictum est. Consentaneum erat talia placita recentissimæ scientiæ inductionibus audacissimis comparari. *Actiones* ergo *reflexas* (liceat enim nobis novo nomine uti ad novam ideam significandam) quidam memoraverunt. Quærendum ergo videtur : 1° nonne, invitâ physiologiæ historiâ, Cartesius actiones reflexas esse suspicatus sit; 2° an relatio quædam detur inter ea quæ de actionibus reflexis docemur et hypothesin spirituum animalium.

Viro Prochaska, qui centum annos post Cartesium natus est, unâ

(1) *De homine*, III. — Ed. Cousin, vol. 4, p. 337. — Cf. Meth., pars V.
(2) Meth., pars. V, § 6.

voce actionum reflexarum deprehensionem tribuunt scientiarum historici; nec ullius ex iis in mentem venit originem Prochaska illius inventionis apud Cartesii tractatûs esse quærendam. Quis eos propter hoc reprehendat? Scientia quæ dicitur illepidè positiva philosophià præstat quod quæstionem non indagat, nisi severè terminatam, terminisque non utitur nisi sensu quam maxime certo prœditis. Medicis actio reflexa nil aliud esse videtur quam musculorum contractio per quam medulla nervis externis excitatis respondet. Neminem fugit hoc viri Pflüger experientia probatum. Ranæ decollatæ musculi non aliter punctionem aceti arcere conantur quam ageret machinarum perfectissima. Contra ubi cerebrum agit nulla datur actio reflexa. Ut statuit Claudius Bernard post multas disquistiones, hanc functionem inter ceteras cerebrum habet inhibere actiones reflexas easque finibus submittere.

Porrò nusquam Cartesius suspicatus est quæ et quanta functio medullæ sit impertita. Certe nullus adèo firmè asseruit musculos ut automata moveri. Verum ubi dicendum est è quo nervorum centro motus in musculos mittatur, nil aliud ac cerebrum novisse Cartesius videtur. « Sola enim causa omnium motuum membrorum est, quod quidam musculi contrahantur, etqui ex adverso respondent iis, extendantur, ut jam dictum fuit. Et sola causa quare hic musculus potius contrahatur, quam qui illi opponitur est quod ad eum confluant paulò plures cerebri spiritus quam ad alium. Non quod spiritus qui immediatè veniunt ex cerebro sufficiant soli ad movendos hos musculos, sed quia determinant alios spiritus qui jam in his duobus musculis sunt, ad celerrimè egrediendum ex uno eorum et transeundum in alium. Quâ ratione is ex quo egrediuntur fit longior et remissior, et ille quem ingrediuntur celerrimè ipsis inflatus contrahitur et secum membrum cui innectitur trahit. Quod facile concipi potest, modo sciatur paucissimos spiritus animales esse qui perpetuè ex cerebro veniunt versus unumquemque musculum, etc. » (1).

Attamen, profiteri necesse est nunquam potuisse Cartesium animalia tanquam automata habere aut mechanicam universalem huic peculiari organorum mechanicæ annectere nisi actionem reflexam observasset. Sciunt Hervœum causarum finalium notitià nixum esse. Idcircò non propterea quod sanguinis circulationem cognoverat scripsisset Cartesius

---

(1) *De Passionibus*, XI.

vel *Tractatum de Homine* vel *Passiones* nisi motuum corporis humani notitiam mechanicæ aptam concepisset. Porrò soli observanti actiones reflexas talis idea subire posset. Qui rectè observat non idcirco rectè explicat. Observationem Cartesius dispiciebat sed perfectissimè observabat quæque natura illi porrigebat. Num dubitas actionem reflexam his lineis observatam ac descriptam ubi dicitur : nobis licere cernere partes nostri corporis quæ quavis causâ offenduntur (ut accidit quum nervus quidam pungitur), non jam nostræ voluntati parere ut solebant, imò sæpe motibus verminibusque voluntati repugnantibus torqueri atque agitari ; à quo ostenditur animum nullum posse motum in corpore ciere nisi omnia corporalia organa tali motui necessaria benè disponuntur; contra patere cùm corporis omnia organa motui cuidam apta sunt, mente non opus esse ut illud fiat ; ergò motus voluntarios dictos præcipuè ex dispositione organorum nasci quippè sine mente excitari possunt, nostra voluntate non obstante (1) ?

Apud hunc locum invenimus expressè dictam cogitationem quæ animat et *Tractatum de Passionibus* et cetera de corporibus viventibus Cartesii opera : corporis motus non ex mente procedere, quia potius secundum ordinem est corpus alio corpore quam animâ moveri (2).

---

(1) De la formation du Fœtus, 1.— Ed. Cousin, vol. IV.
(2) *Ibid.*, III.

Caput VI

DE JUDICIO, VOLUNTATE AC DUBITATIONE

E numero passionum, scilicet è numero cogitationum quas spiritus animales determinant, volitiones duntaxat excipiuntur; cognitiones autem, quatenus à voluntate non pendeant, passionibus annumerandæ sunt. Nil expressius scripsit Cartesius « Quas Actiones voco, sunt omnes nostræ voluntates, quia experimur eas directe venire ab animâ nostrâ et videntur ab illâ solâ pendere. Sicut è contrario possunt in genere vocari ejus Passiones, omnes species perceptionum sive cognitionum quæ in nobis reperiuntur, quia sæpè accidit ut anima nostra eas tales non faciat, quales sunt et semper eas recipiat ex rebus per illas repræsentatis (1). » Novimus passiones esse tantùm conscientiæ status quos organorum motus determinant, aut potius, ut cartesiano ipso sermone utamur « commotiones animæ quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur et corroborantur per aliquem motum spirituum. »

Scimus nullius motus apud voluntatem causam esse requirendam. Confutare opinionem quæ vulgò motus musculorum voluntati attribuit, talis Cartesii præcipua cura fuisse videtur : idcircò et *Tractatum de Homine* et *Tractatum de fœti formatione* scripsit. Quod si ratum habuit, operâ voluntatis apud glandulam, in medio cerebri sitam, agentis motus non creari, sed è viâ inceptâ deterreri, non ideò contradictionis arguendus est. Nonne nostræ ætatis doctissimi homines compertum habuerunt operâ cerebri et, ut ità dicam, *characteris*, motus inhiberi posse ? Motus quivis apud Cartesium mechanicâ ratione explicatur.

(1) *Passiones*, art. XVII.

Ergò voluntas prorsùs è dominio mechanismi expellitur ? Quomodò autem sese manifestam faciet? Scimus passiones tantum passionibus posse coerceri : nempè generositatem, in quâ solâ Recti fundamentum inveniri potest, pro passione libertatis habendam esse Cartesius professus est. Sciunt omnes quam huic quæstioni responsionem philosophus dederit. « Cupere, aversari, affirmare, negare, dubitare, sunt diversi modi volendi (1). » Indè concludit errores, non Deo, sed voluntati esse tribuendos, unamque esse viam, quam sequentes nos ab erroribus vindicare possimus, nempè judicium retinendo sive dubitando. Dubitationem tanquam peculiarem liberæ voluntatis operam habendam esse fatendum est.

Porrò, quum dubitatio sit forma ipsa meræ cogitationis, libera voluntas una atque eadem res est ac substantia cogitans quam distinctam et alienam esse à re extensâ motuque Cartesii metaphysica profitetur.

Exindè clarescit quidquid obscuri remanere poterat in quæstione methodi quâ ad animam indagandam uti decet.

Ostendere jam conati sumus Cartesio ejusque discipulis non placuisse methodo quâ mens sese introspicit uti ad mentis modos cognoscendos. Talem interpretationem ut paradoxum quoddam exponere oportuit. Nonne plerique consentiunt apud hoc pronuntiatum. « *Cogito, ergò sum*, » esse methodi quæ solo sensu interiori utitur quasi oraculum quærendum ? Nonne soliti sunt philosophorum præstantissimi historici Patri Malebranche cujus judicio corporis notitia mentis cognitione longè præstat Cartesium opponere cujus sententia est facilius esse mentem quam corpus cognoscere ?

Nonne prorsùs erravimus? Contrà num judicandum est Cartesium sibimetipsi contradixisse quum scripsit modò *Meditationes* modò *Tractatum de Homine* atque librum qui *Passiones animæ* inscribitur? Rationibus haud infirmis freti, non dubitamus quin talem opinionem ut inanem profiteamur.

Etenim sæpius obliti sunt apud Cartesii philosophiam hujus pronuntiati « Cogito ergò sum » conditionem esse antecedentem, videlicet dubitationem universalem. Dum dicit « *Cogito* », Res cogitans sese percipit seque rei extensæ opponit. Esto. Quomodò autem sese percipit nisi tanquam formam puram omninòque vacuam ?

(1) Princip. phil. pars I, XXXII.

At saltem, dices, res cogitans aliquid in se contentum percipit, nempè et perfectionis et spatii ideas. Sed oblivisceris 1° ideàm perfectionis non immediatè percipi, quippè quæ inducatur è conscientiâ dubitationis aut potius nostræ imperfectionis ; 2° rem extensam sine imaginatione non posse concipi, ita ut rei cogitanti tanquàm ei prorsùs contraria occurrat (1).

Porrò re quæ dicitur *Cogitans* sese in dubitationis actu, scilicet in plenâ libertate sese percipiente, num concludere oportet mentem sibi ipsi (reflexionis operâ) suisque omnibus modis studere posse, quorum conditio est mentis unio cum corpore? Hoc contrà logicam est.

Cogitationis puræ munus, apud Cartesium ut apud Kant, non est extendere cognitionem, sed mechanismo finem simul et fundamentum afferre, etenim certitudinem instaurare quæ nulla esse potest, nisi erroris conscientia, scilicet veri et falsi distinctio, data fuerit.

Indè facilius intelligemus doctrinæ originem, quâ tota Cartesii philosophia obscurior facta fuit; doctrinam dico de duabus substantiis.

---

(1) Apud Cartesium, concipere rem extensam est propriè *imaginari* quod satis demonstravimus. Sanè concipi vel potius intelligi à nobis figuras absque imaginatione profitetur : tum verò pro figuris numeros aut proportiones abstractas cogitari putat.

(*Regulæ ad directionem ingenii, passim*).

Caput VII

DE DUABUS SUBSTANTIIS

Sequitur mechanismus è divina perfectione (1) quæ per vias simplicissimas et maximè universas operatur. Sine libertate infinitâ, divina perfectio nulla esse potest; namque, demptâ libertate, Infinitum, ut græcis philosophis placebat, nihil est aliud atque immensa extensio, qua nihil est nihilo similius et perfecto magis contrarium. Quid vero est cogitatio nisi ipsa libertas, scilicet judicandi vel judicium retinendi facultas? Atqui Cartesio ut in Deo sic in homine libertas infinita esse videtur. Mechanicæ provincia cogitatioque, entis perfecti infinitè liberi duæ creationes sunt; in cujus sinu invicem opponi desinunt.

Tali modo Cartesius problema solvere potuisset. Credimus nos satis demonstrasse mechanismum à divina perfectione ei non separari posse

---

(1) « Intelligimus etiam perfectionem esse in Deo, non solum quod in se ipso sit immutabilis, sed etiam quod modo quam maximè constanti et immutabili operetur : adèo ut iis mutationibus exceptis, quas evidens experientia, vel divina revelatio certas reddit, quasque sine ullâ in creatore mutatione fieri percipimus aut credimus, nullas alias in ejus operibus supponere debeamus, ne qua inde inconstantia in ipso arguatur. » (Principiorum philosophiæ pars II. 36.— Cf, ibid. 37, 39, 40...) — Non dubium est quin Cartesius non docuisset quæ sint leges motuum nec astra è vorticibus oriri supposuisset, nec sanguinis circulationem tanquam physicum motum habuisset nec animal vortici vel machinæ œquiparavisset si tantum Dei infinite perfecti conceptum contemplavisset. Quæ Galileus et Harvœus patefecerant, quæque ipse patefecit non minus quam theologia naturalis ejus philosophiam aluerunt. At hic problema non jacet. Certe Cartesius Montanium perlegerat nec eum minus quam Pascal Pyrrhoniorum contradictiones movebant. At istarum oneri Pascal succubuit quamvis usu experientiæ Cartesium longè antecelleret; Cartesius autem has devicit. Quare itâ dispares fuerunt? Quam Geometriam Pascal per vacuum fluctuare sivit, Cartesius illâ ipsâ ideâ quâ freti solent plerique scientiam contemnere, nempè ideâ perfectionis infinitæ suffulsit.

videri. Quæ autem ei videtur esse cogitantis entis essentia nisi dubitatio ac judicium? Placet igitur illi cogitationis essentiam non in idearum contemplatione sed in voluntate liberâ quæ ideas aut jungit aut sejungit sitam esse; namque judicare aut dubitare est propriè voluntate liberâ uti. Infinitam autem libertatem eamdem esse atque infinitam perfectionem quis dubitabit fateri, qui Cartesium perlegerit? Ex quo fit duos illos terminos primùm repugnantes, mechanicam rationem quæ corpus humanum condit et mentem cogitantem tertio termino, libertate videlicet, componi.

Mens humana, sinceræ libertatis actu, sua propria judicia creat. Ne ex illa aliud opus quæras. Per judicium liberum sese à divinitate vindicat; quippè ut pro Deo mundorum numerus indefinitus, sic pro mente judicia sunt. Etenim adjumentum causæ liberæ qua creantur, ut esse non desinant, necessarium est. Ut dubitatio, scilicet operatio voluntatis liberæ, judicium alia voluntatis liberæ operatione formatum, interrumpere potest, sic, quum libertas divina paucarum legum mechanicarum operâ, scilicet principio minimæ actionis, mundos creat, nihil nisi judicia creat. Cartesio ut serius Leibnitio dicere licebat : « Dum Deus calculat, fit mundus. » Leges à quibus motus regitur, more geometrico, scilicet necessario, creant astra, planetas, corpora aut bruta aut viventia. Verùm sine actu libertatis infinitæ hæ leges operari desinerent. Ergò doctrina quæ per mechanicam res universas explicat notitiam libertatis infinitæ pro fundamento habet ut in libertate entis cogitantis terminum invenit.

Tali ratione Cartesio problema relationum Animæ cogitantis cum mechanica viventi solvere licebat. Alia autem ei ratio placuit. Nil mirum. An Cartesius poterat duo prægredi secula per quæ critice philosophica viguit? An poterat jam cernere quam inanis sit substantiæ conceptus?

Vir Wundt post Kant ostendit substantiam necessariò rem eamdem esse ac materiam neque ullam posse dari substantiam cogitantem. Adde substantiam extensam non ut rem veram sed tantum ut notionem experientiæ necessariam esse habendam. Cartesius verò sese vinculo conceptûs substantiæ vinciri sivit; indè formidanda illa ambiguitas è quâ Spinozæ philosophia nata est; indè quoque duarum substantiarum ambages et cartesianæ psychologiæ offensio.

Demonstraverat Cartesius corporis motus non posse à mente proficisci quum magis ad naturam accommodatum sit corpus alio corpore quam cogitatione moveri. Rursùs, quum ei nulla harmoniæ præstitutæ suppositio placeat, profitetur mentem cum corpore verè conjungi. Sic quodam modo contumeliosas posterioris seculi philosophorum suspiciones permittit. Compertum est, *Hominis-Machinæ* auctorem, Lamettrie, quem inscitia translatitia Condillac tanquam discipulum addictum esse voluit, sese cartesianum asseruisse et à bestiis-machinis hominem-machinam duxisse. Non dubitat quin Cartesium ut spiritus negatorem ostentet (1).

« Apud hunc philosophum, ait, anima inextensa atque immortalis tantùm sonus est inanis qui Sorboniam sopiat. Non alius fuit ejus finis quum nostrarum idearum à Deo originem duxit. Ens inextensum nullum locum obtinere potest; atqui Cartesius, qui hanc veritatem confitetur, quæ sit mentis sedes seriò requirit. »

Apud *Hominem-Machinam* idem sed ampliùs dicitur (2) : « Sinamus virum illum Charp philosophos deridere quibus animalia machinas esse placuit. Ut ab illius sententiâ mea discrepat! Constat sanè Cartesium sæpè erravisse; cognovit tamen animalium naturam. Antè ceteros rectè demonstravit animalia nihil esse nisi veras machinas. Quis, postquam tantum lumen deprehendit, negabit illum absolvere de erroribus? Hoc confessus, quidquid falsum scripsit, reparavit. Namque ea quæcumque cecinit de duarum substantiarum distinctione apertum est esse tantùm callidi scriptoris artificia quibus decepti theologi venenum hauriant analogiâ celatum quæ omnes movet, eos tantùm fallit. Nulla tamen alia causa atque mira ista analogia cogit doctos omnes verosque judices ut fateantur illa entia vana atque ferocia, superbiâ insigniora quam nomine hominum esse tantum animalia, machinasve ad perpendiculum repentes. »

Laudes cujusdam generis offendunt magis quam contumeliæ : talis est laus ista quâ Cartesium Lamettrie affecit. Nulli dubitare licet quin Cartesius religioni catholicæ sincerè fidem suam addixerit. Quâ aliâ ratione tractatum de mundo abolevisset? Totius Europæ theologi doctrinam de bestiis-machinis magnis plausibus acceperunt. Quare, nisi quia Montanii assentatoribus placebat hominem sine ullis scientiæ rationibus ad animalium conditionem reducere? Forsan illis acies defuit et venenum quoddam celatum hauserunt. Verùm Cartesio in animo erat eos remedio donare.

---

(1) Lamettrie, *Abrégé des systèmes pour faciliter l'intelligence du « Traité de l'âme ».*

(2) Lamettrie, *L'Homme-Machine*, édition de Berlin, pp. 95, 96, 97.

Itaque non sine admiratione vidimus libri qui inscribitur *Histoire du Matérialisme* doctissimum auctorem dubitare « Meritòne Lamettrie suas doctrinas Cartesii auctoritate fulciret dum causam philosophiæ quæ omnia ad materiem reducit ageret assereretque callido philosopho placuisse animam planè supervacaneam suæ doctrinæ assuere ut sacerdotibus gratus foret » (1). Fatetur quidem Lange philosophiæ Idearum à Cartesio nimium condonatum ut talem interpretationem sequi liceat. Asserit verò notionem animi immortalis atque incorporalis ictu letifero à Cartesio afflictam quum mortem mechanicâ ratione explicavit.

« Illic Cartesius, inquit, viam materiæ philosophis patefecerat, quorum præcursor esse videtur. In scripto quod inscribitur *Passiones animæ* notat cadaver non solum quia mente caret, esse mortuum, sed quia corporis ipsa machina partim destruitur. Si reputas apud populos indoctos animæ notitiam promanare è comparatione corporis vitâ expertis cum corpore vivente et inscitiâ factorum quæ in moribundo corpore accidunt sæpissime homines induci ut quoddam phantasma animæ esse credant, profitendum est doctrinâ contrariâ Cartesii fretis philosophis facilius fuisse naturam ut totam è materie constitutam depingere (2). »

Procul dubio loquitur Lange ut idearum historicus, non ut cartesianæ philosophiæ interpres. Nihilominus repellenda est illius suppositio. Quod si Cartesio placuit organorum cujusdam destructione mentem à corpore sejungi, non idcircò putandus est materiei philosophiæ favisse inscius. Contrà adeò spiritalem esse mentem credebat ut nihil medii inter mentem et corpus, sive animam vegetativam, sive sive animam sensitivam, esse vellet. Sed, quum Universum rationibus mathematicis regi putaret, corporis motus ab anima oriri noluit. Itaque apud *Tractatum de Fœti formatione* scripsit : quamvis in corpore morienti motus nulli jam fiant, non magis experimur nostrâ nos duci voluntate quam judicamus esse in horologio animam, quâ horas indicare valeat (3).

Ceterum, negare non licet Cartesio non successisse conatum quo simul demonstrare vellet et mentem spiritalem esse et organa legibus

---

(1) Lange, t. I, p. 227.
(2) Lange, t I, p. 226.
(3) Vide, *De Fœto*, V, 5 et 6; Garnier, t. III. - Ed. Cousin, vol. IV., p. 434.

mechanicis regi. Itaque hæredum infidelium duo genera reliquit : alterum est eorum quibus Cartesius philosophus à Cartesio mathematico sejungendus esse videtur; alterum eorum qui mechanicâ ratione res universas regi docuerunt, mentem spiritalem ac liberam esse noluerunt.

Duas substantias esse profiteri nequis; duo virium genera agnoscere licet. Recordemur virum Spencer doctrinam suam tali distinctione duorum vis modorum fulcivisse; quorum unus *Me* alius res externas constituit. Sed Cartesio non licebat Locke, Berkeley, Kant, Hume, Stuart Mill, criticen præcurrere nec Substantiæ phantasma exorcizare. Adde nondum tunc à Spinoza substantiæ conceptum ad absurdissimum reductum. Satis amplum fuit Cartesii opus. Nec vituperandus est si ut ceteri novatores præterita quæ abolere credebat ipse propagavit. Si à schola substantiæ conceptum accepit, quâ hæreditate molestâ conatus ejus partim irriti facti sunt, nihilominus psychologiæ veræ scientiæ aptæ fundamenta jecit.

Philosophis qui nostro tempore psychologiæ vacant quique melius et scientiâ corporis, humani et philosophicâ criticeinstructi sunt, opus simul perficiendum et monitionem reliquit.

Opus nihil est aliud ac psychologiam ad conditiones certitudinis scientiarum accommodare; monitionem dico datam esse quum demonstravit mechanicam explicationem ipsam negare illum qui negat cogitationem realem esse et judicia à cogitatione liberâ proficisci.

Cartesius nulla aliâ ratione duas substantias esse professus est. Glandula ista quam mens unicè moveret tantùm symbolum est, ut spiritibus animalibus, scilicet legibus mechanicis, Judicii libertas avellatur. Doctrina de errore nos hoc edocuit. Si nulla est libertas, nullus est error; si nullus est error, nulla est scientia, ergò, mechanicæ leges ignorantur. Sed hoc amplius est explicandum. Cartesiana philosophia, ut doctrina quævis quæ mechanicâ fulcitur, proficiscitur ab idea secundum quam sensuum perceptio rem cognoscendam non exprimit totaque finibus personæ quæ cognoscit relativa est. Sensus sinunt nos nostram vitam conservare; non majoris pretii sunt. Sensuum perceptiones nos edocent res esse quasdam externas; quales sint, non meliùs quàm ipsa verba pingunt. Itaque experientiæ unius philosophia radicitus tollitur, atque universum mathematicis rationibus explicare licet. Constat scientiam physicam nostri temporis Cartesii ipsius instar procedere. Atqui nullum clarius testimonium requiri debet contra cœcam philosophiam mechanicam. Etenim sensuum perceptio iisdem legibus atque ipsa or-

gana determinatur, sive spiritibus animalibus secundum Cartesium sive nervorum irritatione secundum recentiorum physiologiam.

Ergo cognitioni injungitur auctoritate legum mechanicarum. Attamen eam Judicium respuit ut à scientia abhorrentem, et aliquid ab eâ plane alienum, videlicet extensionem, figuram atque motum substituit. Quomodo melius probari possit mechanicarum legum terminum poni ?

Tolle voluntatis libertatem : extemplò fatendum est omnia judicia æquè determinata æquè valere. Si quidam melancholicus fingit sese esse vas aquâ plenum, hujus judicia in fidem æquè ac sani cujuscumque hominis sententiæ recipienda sunt. Quæ somniantes fingimus æquè valent ac quæ vigilantes cogitamus. Quo vero peritura cadit ratio mundi mechanica. Nonne ista suppositione fulcitur : Cognitionis fontes omnes non esse æquè puros ?

Ergò apud mechanicam universalem veri expressam, perfectam atque unicam sententiam requirere non licet. Omnimodo, terminus illi ponendus est. Quod si tanquam terminum non habet notitiam entis liberi ac cogitantis quod leges mechanicas intelligere queat easque ab erroribus experientiæ expedire, recipere debet philosophiam dubitationis universalis.

Sanè Cartesius professus est animam cum glandulâ conjunctam posse istam movere spirituumque animalium cursum derivare : itaque Leibnitii jurgiis dignus fuit, namque contempsit suæ psychologiæ axioma præcipuum : scilicet naturæ magis esse consentaneum corpus alio corpore quam mente moveri. Sed talis error animo ipsius doctrinæ non congruebat. Ad eum evitandum satis erat confidenter doctrinam stoïcam adsciscere quæ libertatem in usu imaginum ponit. Hoc erat Cartesio eò facilius quod libertatem in judicio, morum rectitudinem in decreto ponebat. Recti igitur fundamentum incolume servare ei licebat salvâ propriâ methodo. Procul dubio libertate ad usum repræsentationum sive ad facultatem consentiendi aut non consentiendi cupiditati cuidam reductâ, manet problema gravissimum. An quum judicavimus rem quamdam sive non expetendam sive non formidandam esse, actio reflexa quæ nos seu ad eam apprehendendam seu ad eam fugiendam incitabat idcircò inhibetur ? Experientia id fierit ait, sed mechanicæ quasi ænigma proponitur. Saltem, vivente Cartesio, rudior erat organorum scientia quam quæ respondere posset. At nostri temporis scientiæ ænigma solveret licet. Nos enim docet et nervorum systemate actiones reflexas inhiberi posse et actionem reflexam sine musculorum contractione inhibitam non

idcircò in nihilum reverti, sed converti in motus organorum interiorum, in succorum secretionem, tandem in passionum signa. Quæ ultima facta Cartesius attento animo observârat, sed suspicari nondum poterat quâ relatione tale phænomenon cum ambagibus de libertate jungeretur.

Mechanismo terminum assignare simul ac fundamentum ejus insternere, talis procul dubio fuit recentioris philosophiæ cura. Idcirco tres illas *Critices* Kant scripsit. Mirum est videre talem curam Caroli Darwin mentem subrepsisse. Darwin ut mechanismi fautor merito haberi potest si hoc verbum ample satis interpretaris : propositum enim habuit pellere è zoologia causas finales et generum viventium ortum paucis et simplicibus legibus explicare. Simul humanarum facultatum originem ex cerebri animalium auctu petebat. Atqui ex hujus epistolis didicimus quantum tali de naturâ mentis humanæ suppositione sollicitaretur ; quod ad scientiæ pretium attinet, quærebat quatenus nostris inductionibus maxime generalibus fidere possimus si nostra mens gradu tantum ab animalium intelligentiâ discrepet. Ergò non illum ipsum fugerat, etsi à metaphysicâ abhorrebat, quantum absolutus mechanismus scientiæ certitudini repugnet. Juxtà Darwin, vir Delbœuf, quem nullus meritis ergà psychophysicen vincit, libertatem ratam habet, ut unicam criterii veri conditionem. Nihil melius contradictiones illas quibus Cartesii philosophia secum pugnare videtur crimine purgat.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IX Kal. mai. anni MDCCCLXXXXI.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

Vu
et permis d'imprimer,
Le Vice-Recteur de l'Académie de Paris,
O. GRÉARD.

ERRATA

PAG.		LIN.	
3	—	9	latina latina civilè; *lege* : latinâ civitate.
18	—	33	sinus; *lege* : sonus.
35	—	5	cadem; *lege* : eadem.
35	—	12	immutetur, *lege* : immutatur.
40	—	15	universi; *lege* : universius.
41	—	14	Idea; *lege* : Ideam.
42	—	4	aggrevemur; *lege* : aggravemur.
52	—	13 et 39	Nimirum... Similiter... Ut; *lege* : nimirum... similiter, ut.
57	—	4	dispiciebat; *lege* : despiciebat.
65	—	17	corporis, humani; *lege* : corporis humani.

FINIS